PHARMACOPOEA

LUSITANICA

MEDIOLANI

MDCCCXXVII

Excudebat Societas Typogr. Classicorum Italiae Scriptorum

Sumptibus Editoris.

LIPSIENSIS EDITIONIS

MONITUM

Exhibemus interpretationem latinam Pharmacopoeae lusitanicae, quae titulo: *Pharmacopeia general para o Reino e dominios de Portugal, publicada por ordem da Rainha fidelissima D. Maria I. Tom. I Elementos de Pharmacia. Tom. II Medicamentos simplices, praeparados e compostos*, prodiit Lisboae 1794 in forma octava, complectens 128 et 247 pag. Cui cum etiamnum adstricti sint pharmacopolae lusitanici, nec seriorem cognoscamus, hac contenti esse debemus.

C. Sprengel.

PARS PRIMA

MATERIA PHARMACEUTICA

SEU

DE MEDICAMENTIS SIMPLICIBUS

ABSYNTHIUM VULGARE. *Losna.* Herba.

Artemisia Absynthium L.

Locus. Habitat in locis siccis arenosis Lusitaniae: colitur in hortis. Floret Iunio et Iulio. Perennis.

Forma. Caules teretes, duos aut tres pedes longi, sulcati, ramosi, foliosi, incani. Folia petiolata, alterna, satis magna, mollia, viridiusculo-canescentia, bipinnatifida, laciniis multifidis.

Proprietas. Odor aromaticus fortis. Sapor amarissimus.

ACETOSA. *Azedas.* Herba rec.

Rumex Acetosa. L.

Locus. Habitat in pratis Europae et Lusitaniae: colitur in hortis. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Folia oblonga, sagittata, carnosiuscula, magna, acuta, utrinque glabra, margine undulata, inferiora petiolata, superiora sessilia, summa linearia.

Propriet. Odor nullus. Sapor acidus, gratus. Folia tenera masticata salivam viridi colore imbuunt. Siccorum sapor herbaceus, vix ullo acore conspicuo.

ACETOSELLA. *Trevo azedo.* Folia recentia.

Oxalis Acetosella L.

Locus. Habitat in nemoribus, ad declivia saltuum, in vallibus umbrosis humidis Lusitaniae, Hispaniae, Brasiliae. Floret a Martio ad Octobrim. Perennis.

Forma. Folia ternata, foliola obcordata, apice ad petiolum verso, pilosiuscula, ciliata, flavido-viridia.

Propriet. Odor nullus. Sapor grate acidulus.

ACETUM. *Vinagre.* Sal acidus liquidus.

Forma. Acetum est sal acidus aquosus liquidus pellucidus, hyalinus aut subrutilans, fermentatione vini productus.

Propriet. Odor habet aliquid spirituosi, fragrantis: sapor est acidus. Praeter qualitates acidorum communes maiorem habet affinitatem erga terram ponderosam, quam erga alcalia, calcem magnesiamque. Connubia cum his substantiis nonnullisque metallis constituunt neutrales substantias particulares, in spiritu vini solubiles.

N. Aceti fabricatores adulterant acetum acido vitrioli. Ea fraus detegitur addita solutione terrae calcareae in aqua, quo facto lacteus color nascitur, terra acido vitrioli saturata, gypsum fit fundumque petit. Pharmacopolae est, operam dare omnem, ut nullo alio utatur aceto, nisi e vino parato.

ACIDUM VITRIOLI. *Oleo de vitriolo.* Sal acidus mineralis.

Locus. Semper iunctum reperitur cum alcalibus, terris, metallis quibusdam, cum phlogisto, unde ope peculiaris extrahitur operationis.

Forma. Acidum vitrioli est sal acidus liquidus, dum purus, pellucidus et aquae instar clarus, sed vulgo nigrescens ob sordes: olei more fluit, digitisque tractatum pariter oleosum videtur: hinc illegitime appellatur oleum vitrioli.

Propriet. Nullus odor. Sapor satis stypticus et acidissimus. Pondus specificum duplum fere est aquae destillatae, quia vitrum unciae unius aquae capax, unciam unam et $\frac{7}{8}$ partes huius acidi continet. Corrodit et destruit materies flagrantiae capaces ad ignis instar, in verum carbonem eas reducens. In cucurbita calefactum perdit protinus aquae partem, concentratur, partim in vapores volatile abit, et si colore insigne esset, colorem amittit ac clarescit. Aëri expositum attrahit fere duplum ponderis humorum, quibus demitur et roboris et causticae vis plurimum. Unitur aquae cito, cum fervore magnoque aestu, idque connubium nec frigore congelascit, nec aquae congelationem permittit. Quodsi vero omni aqua privatum est, congelascit ad 12 — 13 gradus sub puncto congelationis thermometri Reaumuriani. Unitur alcalibus, terris quibusdam et metallis, unde varia existunt corpora neutra.

ACONITUM. *Aconito.* Folia.

Aconitum Napellus L.

Locus. Habitat in locis humidis inundatis ac montosis Europae. Floret a Iunio ad Augustum. Perennis.

Forma. Folia sunt palmata, quinquefida, laciniis linearibus incisis, nervo subtus prominulo, supra lucidis, glaberrimis, saturrime viridibus.

Propriet. Odor gravis, nauseosus. Sapor foliorum recentium, postquam manducaveris, evidenter acris, siccorum insipidus. Succus saporis est acris, odoris ingrati: qui cum in extractum abit, salitus fit et acriusculus, odoremque habet virosum.

ALLIUM. *Alho.* Radix.

Allium sativum L.

Locus. Habitat in Sicilia, colitur in Lusitania. Biennis.

Forma. Radix est bulbosa, ceparum more subrotunda, e multis bulbillis composita, arcuatis, acutis, interiori latere concavis, extus convexis, lateribus planis, quibus iunguntur: duplici serie vel triplici dispositis, pellicula alba, sicca, chartae ad instar, obtectis. Parenchyma est album, carnosum, spongiosum, succo pellucido plenum.

Propriet. Odor peculiaris, fragrans, gravis, nauseosus. Sapor acris. Manducatum allium halitui oris impertit odorem suum peculiarem fragrantissimum, diu persistentem. Succus e bulbis sectis extractus, digitis frictus siccatusque splendorem iis inducit, quo si chartam albam unxeris, fit ea rigida diaphana, postquam siccuerit, velut oleo tincta.

ALOË SUCCOTRINA. *Azevre succotrino.* Gummi-resina.

Aloë perfoliata β. americana L.

Aloë elongata Murr.

Locus. Habitat in Jamaica, Barbados, Brasilia, Capite bonae spei. Perennis.

Forma. Gummi-resina, aut succus inspissatus in frustis solidis sed fragilibus, coloris nigricantis purpurascentis, lucidis, subdiaphanis, maculis aut punctis auratis: quae fracta in frustula dissiliunt ab altera parte plana aut convexa, concava ab altera.

Propriet. Odor nauseosus. Sapor amarissimus, fellis more, nauseosus. Pulveratur facile, pulvis est aureo-lutescens: flammae admotus spumat, accenditur, ardet, protinus vero ut ab igne removetur, subsidit, fumumque spissum odoris peculiaris emittit, denique in carbonem abit. — Aloë minus pura, coloris obscurioris, nomine *hepaticae* venit: nigra, arida, minusque graveolens vocatur *caballina.*

ALTHAEA. *Malvaisco.* Radix.

Althaea officinalis L.

Locus. Habitat in locis humidiusculis per totam Europam. Floret a Maio ad Iunium. Perennis.

Forma. Radix est magna, teres, longa, ramosa, ramis teretibus, digitum aut pollicem crassis, extus coloris cinereo-albidi, subrugosis: parenchymate carnoso, albo, quod, transversim sectum, striis insignitur albidioribus radiatim a centro ad ambitum et annulo incarnato medullam ambeunte.

Propriet. Nullus odor. Sapor subdulcis, admodum mucilaginosus.

ALUMEN. *Pedra hume.* Sal neuter terreus.

Alumen commune L.

Locus. Invenitur in Aegypto, Insula Melo, Sardinia, Hispania, Lusitania, Brasilia, in variis formis: nimirum nativum, variis peregrinis rebus mixtum, in pyritis superficie, in pulvere et striis subtilissimis, aliquando etiam in fontibus mineralibus solutum.

Forma. Alumen est sal neuter terreus, e connubio acidi vitriolici cum terra aluminosa natus, quem videmus in frustis grandibus crystallinis, albis subdiaphanis, quorum crystalli, dum regulares sunt, octaëdram habent formam.

Propriet. Nullus odor: sapor insigniter stypticus, subdulcis. Aëri expositus tegitur pulvere aut farina quadam, qua demitur pelluciditas. Ad ignem liquescit, perdit aquam crystallis idoneam, turgescit insigniter, tandem mutatur in substantiam siccam, spongiosam, levem, albam, satis friabilem et admodum stypticam, quae *Aluminis usti* nomine venit. In aqua frigida parum solvitur: iuxta Kirwanium enim quindecies tantum aquae, quae temperiem 60 graduum Fahrenh. habet, poscitur ad solutionem. Aqua fervida vero dimidiam fere sui ponderis partem solvit.

AMBRA. *Ambar.*

Ambra ambrosiaca L.

Locus. Invenitur in superficie maris circa insulas Moluccas, Madagascar, Sumatrae [illegible] oras Coromandel, Brasiliae, Africae, Ch[illegible]oniae: sae-

penumero inter faeces aut in intestinis Physeteris macrocephali.

Forma. Substantia mollis, glutinosa, ad cerae instar, coloris cinerei, punctis flavicantibus aut nigris sparsa: frustis irregularibus, quandoque rotundatis, quae stratis componuntur squamatis, plus minusve crassis: continent saepe frustula concharum, piscium que spinas.

Propriet. Odor moschatus, fragrantissimus: dum calefit aut fricatur, aliis rebus facillime impertitur. Sapor nullus. Manducata dentibus adhaeret: funditur, sine ebullitione nec spuma, si in cochleari metallico ad flammam candelae cereae admovetur. Ferro calido nec adhaeret, nec solvitur spiritu vini, nec subit aquam. Haec est optima: plurima autem venalis adulterata esse solet.

AMYGDALAE AMARAE. *Amendoas amargosas.* Nuces. Arbor.

Amygdalus communis L.

Locus. Habitat in Lusitania, Hispania.

Forma. Fructus est ovatus, utrinque planiusculus, acutus, putamine rubicundo, rugoso, sulcato, striato: parenchymate candido, glaberrimo, solido, bipartibili.

Propriet. Sapor amaricans, oleosus, farinosus. Masticatae in frusta abeunt, salivam lacteam reddunt.

AMYGDALAE DULCES. *Amendoas doces.* Nuces. Arbor.

Amygdalus communis L.

Locus. Habitat in Hispania, Lusitania.

Forma. Fructus priori similis, sed grandior.

Propriet. Sapor dulcis, oleosus, farinosus. Manducatae in frusta abeunt, salivam lacteam reddunt.

ANGELICA SATIVA. *Angelica.* Radix.

Angelica Archangelica L.

Locus. Habitat in alpibus Lapponiae, Austriae, in Pyrenaeis Cataloniae et in Lusitania. Floret Iunio et Iulio. Biennis.

Forma. Radix recens fusiformis cylindrica, pollicem et quod excurrit, crassa: rugosa, coloris cinerei parumper rufi, cincta radiculis aut fibrillis longis, teretibus, crassis. Parenchyma recens est carnosum, albidum, succo flavicante scatens, dum siccescit, spongiosum.

Propriet. Odor aromaticus, fragrans, gratus. Sapor aromaticus, fortis. Manducata protinus habet dulcis aliquid, dein calefacit, acris fit, auget salivam, linguam et palatum vellicat ac calefacit.

ANISUM. *Herva doce.* Semina.

Pimpinella Anisum L.

Locus. Habitat in Italia, Sicilia, Aegypto aliisque Orientis regionibus. Colitur in Gallia. Floret Iulio. Annua.

Forma. Semina sunt ovato-oblonga, turgida, gemina, hinc plana, inde convexa, longitudinaliter striata, coloris exalbidi aut cinereo-virescentis, longitudine lineam aequant.

Propriet. Odor aromaticus, suavis. Sapor quoque aromaticus, subdulcis, suavissimus et grate acriusculus.

ANISUM STELLATUM. *Anis estrellado.* Fructus. Arbor.

Illicium anisatum L.

Locus. Habitat in Tataria, China et insulis Philippinis.

Forma. Fructus compositus ex octo aut pluribus capsulis ovatis horizontaliter stellatim dispositis, ovato-oblongis, rugosis, duris, compressis, ferrugineis, inferius convexis, apice dehiscentibus: in quarum cavitatibus singulis semina ovata, planiuscula, cortice coriaceo lucida, medulla albida.

Propriet. Odor capsularum similis Anisi: sapor congruit, dulcis, suavis. Odor saporque corticis seminum consentit cum illo, sed debilior. Medulla est oleosa, odoris saporisque fortis.

ANTIMONIUM. *Antimonio.* Semimetallum sulfure minerae indolem adeptum.

Stibium striatum L.

Locus. Habitat in Gallia, Hungaria, Lusitania, etc.

Forma. Semimetallum, quod sulfuris ope minerae formam et indolem adeptum est, compositum acubus aut laminis plus minusve longiusculis et crassis, parallele ad se invicem appositis, fragilibus, lucidis, nigrescentis aut coerulescentis coloris. Eligenda sunt frusta pura ea forma, ut acubus longis, latis, bellis splendentibusque appareant, ut facile frangantur pondereque insignia sint.

Propriet. Nec odor nec sapor ullus. Fractum autem aut frictum protinus sulfur redolet. Facillime funditur, tubulo fusorio expositum fumat, funditur super

pruna, quam penetrat et penitus evanescit, exceptis floribus, quos circinnatim deponit. Lente sensimque calcinatum, largitur calcem ciuercam, quae ad ignem in scoriam ferrugineam et fere diaphanam vertitur: in acidis facile solvitur, in aqua regia sola pars metallica, sulfure separato, stperficiem patente.

ARISTOLOCHIA LONGA. *Aristoloquia longa.* Radix.

Aristolochia longa L.

Locus. Habitat in Europa australi et Lusitania. Floret Aprili ad Iunium usque. Perennis vulgaris.

Forma. Radix sicca cylindrica, obtusa, pollicem crassa, palmum longa, extus sulcata, rugosa, coloris cinerei, dura, subfragilis, intus flavicans seu exalbida.

Propriet. Odor subnauseosus: sapor aromaticus, amaricans et acris.

ARNICA. *Arnica.* Radix, folia, flores.

Arnica montana L.

Locus. Habitat in montibus et pratis Europae borealis: etiam in Lusitania. Floret Maio et per totam aestatem. Perennis.

Forma. Radix fibrosa, mole pennae anserinae, extus variegata, intus alba. Folia ovato-oblonga, integerrima, molliter ciliata, supra scabra, subtus laevia, trinervia. Flores lutei, compositi flosculi disci hermaphroditis, tubulosis, quinquefidis, radii femineis lingulatis tridentatis.

Propriet. Odor radicis subaromaticus: sapor suavissime amarus et acris, foliorum subsalsus et amaricans, florum amarus et acris.

ARTEMISIA. *Artemisia.* Folia.

Artemisia vulgaris L.

Locus. Habitat in locis cultis et ruderatis Europae et Lusitaniae. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Folia pinnatifida, plana, supra viridia, glabra, striata; subtus tomentosa incana: fissa in lacinias oppositas lanceolatas acutas, iterum partitas in lacinulas lineari-lanceolatas acutiusculas dentatas.

Propriet. Odor subfragrans. Sapor amarus, subaromaticus.

ARUM. *Iarro.* Radix recens.

Arum maculatum L.

Locus. Habitat in nemoribus, vallibus, locisque umbrosis Lusitaniae totiusque Europae. Floret a Maio ad finem aestatis. Perennis.

Forma. Radix est tuberosa, ovata, mole pollicis vel ovi fere columbini, cincta tuberculis, velut bulbillis rotundis, et radiculis, maxime basi: apice gerit squamas multas albas, velut pelliculas, intra quas latet denticulus segregatus, acutus, subarcuatus. Parenchyma est carnosum, album, lacteo succo scatens. Sicca radix est dura, fragilis, subdiaphana, farinosa, albissima.

Propriet. Nullus odor. Sapor acris, ardens. Manducata vellicat et urit linguam: quae quidem acrimonia sensim minuitur, ut radix siccescit.

ASA FOETIDA. *Assafetida.* Gummi-resina.

Ferula Asa foetida L.

Locus. Habitat in Persia. Perennis.

Forma. Gummi resina in granis aut lacrimis albidis, flavidis, aut in frustis maioribus glutinosis flavidis, quae constant lacrimis albidis, flavicantibus aut rutilis, lucidis. Eligenda est in lacrimis, aut, nisi hae adsint, in frustis puris et lacrimas exalbidas continentibus.

Propriet. Odor fortissimus, alliaceus. Sapor acris, amaricans. Manducata protinus glutinosa est, dein sensim in saliva solvitur, quam lacteam facit. Trita cum aqua frigida solvitur, licet haud omnino, aquaeque lacteum impertit colorem. Digesta in aqua loco tepido, protinus tota superficies albescit, continuata dein digestione, reducitur in substantiam cretaceam, parte gummosa soluta reddente aquam pallide rutilam.

AURANTIUM HISPALENSE. *Laranjera azeda.* Folia, flores, cortex exterior aut flavidus, succus, denique fructus.

Citrus Aurantium L.

Locus. Habitat in India orientali: colitur in Hispania, Lusitania et Brasilia. Floret Martio. Arbor.

Forma. Folia coriacea, ovato-oblonga, acutiuscula, subserrata, laevia, utrinque sublucida, saturrime viridia, petiolis basi teretibus, apicem versus auriculatis. Flores albi, carnosi, quinque petalis oblongis, planis. Fructus est bacca subrotunda, cortice crasso, flavissimo subrutilante, innumeris punctis

seu foraminulis obsito; intus albo, spongioso. Parenchyma, seu medullam dixeris, flavicans, octo aut duodecim nucleos segregatos continens, qui ope pellicularum albarum distinguuntur. Has autem cingunt vesiculae cylindricae acutae, succo pellucido scatentes.

Propriet. Odor foliorum est aromaticus, maxime dum manibus fricantur; florum aut petalorum fragrantissimus, aromaticus, suavis; corticis flavi pariter aromaticus, gratus. Sapor foliorum aromaticus, subamaricans: florum leviter amarus, corticis flavi acris, aromaticus, amarus, succi acidulus, nullo odore.

AVENA. *Avea.* Semina.

Avena sativa L.

Locus. Habitare in Insula Juan Fernandez Ausonius testatur: pariter in Asia. Colitur in Lusitania. Annua.

Forma. Semina sunt oblonga, hinc convexa, illinc plana, utrinque acuta, lateris plani sulco longitudinali exarata, obtecta pellicula subcinerea, flavicante aut nigricante, medulla aut parenchymate albissimo, farinoso. Eligenda sunt, quae pellicula vel grysea vel flavicante gaudent, turgida et ponderosa.

Propriet. Odor nullus: sapor insipidus, mucosus, farinosus, vix dulcis.

BALSAMUM COPAIVAE s. BRASILIENSE. *Balsamo ou oleo de Copaiva.* Resina.

Copaifera officinalis L.

Locus. Habitat in Brasilia, praesertim ad Maranhäo et in Guiana. Arbor.

Forma. Resina liquida, ad olei instar, et coloris expers, dum ex arbore fluit, sed tempore spissescit, colorem pallide flavum acquirit.

Propriet. Odor fragrans, balsamicus, gratus. Sapor acris, amaricans, aromaticus. Tritum aqua hanc turbidam reddit lacteamque, sed paullo post guttae sparsae in superficie aquae coëunt, hancque linquunt limpidam. Alioquin iungitur aqua ope vitelli aut albuminis ovi aut mucilaginis, unde emulsionis species nascitur. Solvitur in oleis tum essentialibus tum fixis, in his vero difficilius. In spiritu vini pariter omnino solvitur, solutione pellucida et fragrante.

BALSAMUM PERUVIANUM. *Balsamo peruviano.* Balsamum. Arbor.

Myroxylon peruiferum L.

Locus. Habitat in Peru, Brasilia et Mexico.

Forma. Balsamum minus liquidum quam mel spissum, colore nigricante subrutilante, opaco: sed protinus ut in vitro panditur, pellucidum rutilumque.

Propriet. Odor fragrans, suavis, Vanillam aemulans. Sapor acris, aromaticus, subamaricans. Ad flammam ardet. Tempore in vasis, quo continetur, fundo crystalli salinae efflorescunt, quae solutae in aqua floribus Benzoës similes sunt. In spiritu vini rectificato facile solvitur, pariter in oleis essentialibus, nequaquam in fixis aut in adipe. In aqua frigida subito subsidit, iungitur tamen cum ea ope mucilaginis aut vitelli ovi: nihilominus aqua trita cum hoc balsamo ipsi odorem adimit.

BALSAMUM S. THOMAE. *Balsamo de Tolù?* Resina.

Ignotum genus plantae, unde sumatur.

Locus. Invenitur in Insula S. Thomae. Arbor.

Forma. Resina liquidior melle spisso aut terebinthina : coloris aurei aut pallide flavi, glutinosa, pellucida.

Propriet. Odor fragrans, gratus. Sapor acris, amarus. Manducatum haud solvitur in saliva, sed dentibus adhaeret: ad flammam accenditur, sed protinus liquescit, guttatim defluit et exstinguitur. In ipso aestu ignis omnino funditur, ad flammam autem vivide accensum fumum spargit gratum. Solvitur omne in spiritu vini rectificato, facillime miscetur oleis essentialibus, aegerrime fixis adipique. In aqua haud solvitur, sed ebulliens cum ea, odorem impertit, quadantenus iungitur ope mucilaginis aut vitelli ovi.

BARDANA. *Bardana.* Radix.

Arctium Lappa L.

Locus. Habitat in locis cultis Lusitaniae. Floret a Iunio ad Septembrem. Perennis vulgaris.

Forma. Radix fusiformis, teres, pedem longa, radiculis cincta, cortice cinereo aut nigricante. Parenchyma album, transversim sectum prodit medullam spongiosam orbicularem. Siccata est dura, fragilis, coloris sordidi.

Propriet. Odor nullus. Sapor subdulcis, amaricans. Manducata mollescit in ore, comminuitur, nec ingrata est.

BDELLIUM. *Bdellio.* Gummi-resina.

Ignotum genus plantae.

Locus. Invenitur in Arabia et India. Arbor.

Forma. Gummi-resina in lacrimis aut granis, cerasorum maiorum mole, angulatis, extus rugulosis, subdiaphanis, segregatis aut secum cohaerentibus, coloris obscure rufi, fragilibus: fracta haec frusta plana sunt, laevia, sublucida.

Propriet. Odor haud ingratus, subfragrans; sapor amaricans, leviter vellicans. Calore manuum sine negotio mollitur: manducatum dentibus adhaeret. Ad ignem nec funditur nec mollitur, sed ad flammam admotum accenditur et ardet, licet haud sine difficultate, flamma est clara cum odore balsamico: simul crepitans dissilit, e superficie exsudante liquore: superest denique carbo niger, subsordidus, splendens, fragilis. Haudquaquam solvitur in oleis fixis nec in essentialibus, sed mollitum tingit ea colore flavido. In aqua frigida mollescit, in fervida ad dimidiam partem solvitur: quod superest resinosum, solvitur in spiritu vini, cui tamen odoris sui nihil impertit. Communicat eum cum aqua, cum qua destillatur.

BENZOË. *Beijoim.* Balsamum solidum.

Styrax Benzoin Dryandr.

Locus. Habitat in Sumatra, Java, Siam. Arbor.

Forma. Balsamum solidum in offis maioribus, quae laminis componuntur rufis seu viridiusculis, intersparsis granis, velut nucleis amygdalarum, diversae molis, albis, fragilibus, sublucidis.

Propriet. Odor fragrans, suavis, praecipue cum fricatur aut calefit. Sapor subdulcis, balsamicus. Manducatum inter dentes abit in frustula, sed haud solvitur: admota flamma ardescit cum fulgore et fumo: superest carbo niger, splendens, fragilis, manus inquinans. Ad ignem funditur, spumat, fumumque spargit odoris grati. In spiritu vini omnino solvitur, solutione flavicante subrutila. Aqua agitatum huic lacteum largitur colorem, quod *lac* vocatur *virgineum*. Nec in fixis solvitur oleis nec in essentialibus, nec in aqua: huic tamen, ope digestionis, impertit fragrantem odorem et saporis aliquantum. Blandissimo calore evaporatum salem largitur essentialem acidum, similem ei, quem e Benzoë, ope sublimationis, nanciscimur, *flores Benzoës* vocatum, acubus longiusculis constantem.

BISTORTA. *Bistorta.* Radix.

Polygonum Bistorta L.

Locus. Habitat in montibus Europae, Lusitaniae, etiam in pratis. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Radix subcylindrica, torta, flexuosa, digitum crassa, extus cinerea, annulata, per totam superficiem fibrillis cincta. Parenchyma recentis est carneum, exalbidum; siccae solidum, fragile, pallidum aut rufum.

Propriet. Odor radicis recentis Nasturtio aquatico similis, siccae nullus. Sapor recentis satis stypticus, siccae multo minus.

BOLUS. *Bolo.* Terra pinguis.

Argilla Bolus L.

Locus. Invenitur in Lusitania, aliisque regionibus.

Forma. Terra argillacea frustis variae molis, particulis constans subtilissimis, ad tactum unctuosis: fracta parum splendet, colore gaudet albo, flavicante, rutilo. Eliguntur frusta pura a sordibus et arenis, tactu suavia, nitentia, facillime in pulverem fatiscentia, linguae labiisque adhaerentia.

Propriet. Nullum habet odorem, nullum saporem. Aqua agitata sorbet eam, quod et accidit, dum ori admovetur: igne durescit et aspera fit, ut aliae terrae argillaceae.

BORAX. *Tingal.* Sal neuter imperfectus.

Borax Tincal L.

Locus. Reperitur in regno Tibet, in fundo lacus Neibal, in cavernis nonnullis Persiae, in Ceilona, Tataria magna, in Saxonia, in vicinia Halberstadii et, ut fertur, in provincia Bahia ad flumen *das Contas.*

Forma. Borax est sal neuter imperfectus, natus e connubio salis acidi boracici aut salis sedativi et alcali fixi mineralis. In dictis locis invenitur in crystallis crassis gryseis, pinguedine quadam tectis, quarum forma constans refert prismata plana hexaedra, terminata pyramidibus obtusis triedris, aut crystallos exiguas, irregulares, albidas, diaphanas, immersas substantiae aut massae unctuosae, rancidae, coloris cinerei aut virescentis, in frusta secedentis. Hac forma vocatur *Borax crudus:* is depuratus, ubi nomen verum *Boracis* obtinet, crystallis constat formosis, dia-

phanis, albis, parallelepipedis, rectangulis, marginibus omnibus truncatis, aut pyramidibus tetraedris, longitudine interdum duorum pollicum.

Propriet. Saporem habet parum salsum et stypticum. Aeri expositus pulvere albo obtegitur, quo pelluciditas perditum it: ad ignem funditur, turget, et mutatur in massam spongiosam, levem, quae dicitur *Borax calcinatus:* denique abit in vitrum diaphanum, neque amplius mutatur, amissa aqua crystallis idonea. Syrupum violarum viridi tingit colore. Solvitur in duodecim partibus aquae frigidae, fervidae sex; in quam solutionem si acidum vitriolicum instillatur, hoc unitur cum alcali minerali, et sal sedativus aut acidum boracicum in crystallos abit squamatas aut foliola magis pellucida ac splendentia, quod etiam contingit ope acidorum aliorum.

CACAO. *Caçao.* Semina.

Theobroma Cacao L.

Locus. Habitat in locis umbrosis Americae meridionalis et Mexico. Arbor.

Forma. Semina mole et figura amygdalarum, pellicula chartacea, membranacea, cinerea subrutila, medulla aut parenchymate unctuoso, nigricante, aut rufescente, quod secedit in plures lobulos irregulares, tortos, pellicula tenerrima cinctos.

Propriet. Odor nullus. Sapor subunctuosus, stypticus, amarus, gratus. Manducata in frustula discedunt, paullatim consumta in ore. Flammae admota ardent clara flamma sine fumo.

CALAMUS AROMATICUS. *Calamo aromatico.* Radix.

Acorus Calamus L.

Locus. Calamus vulgaris habitat in lacubus stagnisque Europae; asiaticus in locis humidis, etiam in siccis altisque Indiae orientalis ac Brasiliae: hic colitur in Europa. Perennis.

Forma. Radix recens est cylindrica, subelongata, ramosa, digitum crassa, articulata aut nodosa, obtecta cortice stupeo cinctaque radiculis innumeris, velut fibrillis albis, basi prodeuntibus, quae iterum fibrillis aliis capillaribus cinguntur. Parenchyma carnosum, album, quod, transversim sectum, totum foraminulis cribratum apparet, sicut et medulla ovalis, quae praeter foraminula punctula prominula ferruginea habet. At radix sicca exstat in frustis longiusculis, extus asperis, cum punctis prominulis gryseis aut pallidis, intus albidis, parenchymatae farinoso, albido, fragili. Radix calami asiatici est singularis, tenerior, durior, magis nodosa, colore rufo in cinereum abeunte, intus albicans, spongiosa.

Propriet. Odor fragrans. Sapor aromaticus, acris, leviter amarus. Quae quidem qualitates pariter in sicca ac in recenti radice observantur, acrior tamen est recens. Radix calami asiatici praestat omnino europaea.

CALX VIVA. *Cal viva, ou Virgem.* Lapis calcareus purus recens ustus.

Locus. Invenitur circa montes ignivomos: sed usitatus est arte factus.

Forma. Calx viva est in frustis albis, satis fragilibus, facillime in pulverem farinosum, candidum fatiscentibus.

Propriet. Sapor acris, aestuans, urinosus. Aeri exposita turget, finditur, volumine aucto, calefit, abit denique in pulverem subtilem, albissimum, qui calx ad aerem extincta appellatur: quo facto amittit causticam indolem, attracto humore, simul acquirit potestatem, effervendi cum acidis, quae ante haud attrahebat, quod fit, sorbto ex aere atmosphaerico acido aereo seu mephitico. Syrupum violarum viridi tingit colore, pariter etiam crotonis tincturam. Solvitur in septingenties tanto ponderis aquae, hanc calefacit, dum cum ea miscetur. Solutio inde nata vocatur aqua calcis, cuius proprietates eaedem sunt ac calcis vivae. Igni fortissimo exposita, neque mutatur neque funditur, nisi cum aliis rebus terreis aut salinis mixta.

CAMFORA. *Alcanfor.*

Laurus Camfora L.

Locus. Habitat in Japonia, insulis Borneo, Sumatra etc. Arbor inculta.

Forma. Resina? depurata in frustis hemisphaericis, foratis media parte, hinc concavis, illinc convexis, albissimis, subdiaphanis, levibus, subfragilibus. Haec secedit ope sublimationis e camfora cruda, quae specie granorum flavicantium habetur, extractorum tum ex arbore illa, tum ex aliis plantis, nimirum e Zedoaria, Melissa, Roremarino et Salvia.

Propriet. Odor singularis, fragrantissimus, fortis. Sapor acris, aromaticus, subamaricans, in lingua

sensum frigoris excitans. Manducata dentibus adhaeret. Est adeo volatilis, ut aeri exposita avolet omninoque evanescat. Celeriter exardescit, comburitur flamma alba, vivida, relictis nec carbone nec cinere. Haudquaquam in aqua solvitur, sed huic odorem suum impertit, comburitur etiam in superficie ejus. Protinus solvitur in spiritu vini, pariter in acidis concentratis, e quibus tamen ope aquae iterum, haud mutata, secedit. Solvitur denique in oleis fixis et volatilibus; adiuvante calore: ex his separatur, vix refrigescens, gradatim, specie crystallorum aut filorum subtilissimorum, quae hactenus disposita sunt, ut plumam referant.

CANTHARIDES. *Cantharidas.* Insectum.

Meloe vesicatorius L. *Lytta vesicatoria* Fabr.

Locus. Habitat in Fraxinis, Sambucis, Ligustris et Caprifoliis totius Europae.

Forma. Insectum quadrialatum, cujus alae superiores durae sunt, viridissimae, splendidae, auratae, flexiles et striatae, inferiores cinereae. Corpus longiusculum, viride, coerulescens, antennae nigrae.

Propriet. Odor peculiaris, nauseosus. Sapor satis acris.

CARDAMOMUM MINUS. *Cardamomo menor.* Fructus.

Amomum Cardamomum L.

Locus. Habitat in locis humidis Indiae orientalis, maxime in Java. Perenne.

Forma. Fructus est capsula aut folliculus verticaliter conicus, subrotundus, dimidium circiter pol-

licem longus, trigonus, obtusiusculus, saepe acutiusculus, levissime striatus, pallidus, ope dissepimentorum membranaceorum divisus in tres loculos, qui continent semina multa, dura, angulata, subquadrangula, rugosa, coloris fusci, medulla alba submucilaginosa.

Propriet. Odor fragrans, aromaticus, gratus. Sapor grate aromaticus, subamaricans, camforam quadantenus aemulans. Hae qualitates insigniores sunt in seminibus, quibus praecipue utimur.

CARDUUS BENEDICTUS. *Cardo santo.* Folia.

Centaurea benedicta L.

Locus. Habitat in Hispania, Lusitania. Floret Maio et Iunio. Annua.

Forma. Folia sunt oblonga, longitudine sex aut septem pollicum, obtusa, rugosa, aspera, subtus arachnoidea, transversim sinuato laciniata, spinosa, glutinosa, ciliato-spinulosa ambitu: inferiora petiolata, superiora sessilia erecta.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarissimus, diu persistens. Folia per aliquod tempus in aqua frigida macerata, huic impertiunt saporem amaricantem gratum, qui vero perit, cum maceratio continuatur aut dum effervescit, fit enim tunc sapor nauseosus. Macerata in spiritu vini, huic quoque amaritudinem largiuntur, sed gratiorem aqua illa.

CARYOPHYLLUS AROMATICUS. *Cravo da India.* Flores siccati.

Caryophyllus aromaticus L.

basin urethrae Castoris sitis, cum qua coniunguntur ope peculiaris foraminis.

Propriet. Odor est fortis, aromaticus, gravis. Sapor acris, amarus, nauseosus. Solvitur partim in spiritu vini et aethere, partim in aqua. Haec solutio evaporata largitur salem, cuius natura etiamnum ignota est. Ex analysi chemica efficitur, esse castoreum resinam cum mucilagine animali aut gelatina et sale quodam iunctam.

CATECHU. *Cato.* Extractum gummoso-resinosum.

Mimosa Cate Murr.

Mimosa Cathecu Linn.

Locus. Habitat in India orientali et montibus Rota, Pallamor et aliis regionibus altioris Bengaliae. Arbor.

Forma. Gummi-resina in frustis siccis, duris, fragilibus, coloris extus rufo-nigricantis, intus obscure rubicundi. Fragmentorum forma est irregularis, facile reducitur in pulverem obscure rubicundum. Saepenumero mixta est scobibus ligneis.

Propriet. Odor nullus. Sapor substypticus, amarus, denique dulcis. Manducata comminuitur ac omnis in ore dissolvitur, cum pura est, salivam rubro tingit colore. In aqua penitus solvitur, exceptis sordibus: solutio rubra, cum perfriguit, mucosa videtur: pariter partim in spiritu vini solvitur, sed absque coaguli mucosi collectione post refrigeratam solutionem. Ad flammam haud accenditur: sed in carbonem vertitur, fumo edito. In vase ferreo supra ignem mollescit, flammae admota accenditur, ardet flammula flavida, superstite carbone sicco, nigro, fragili, splendido, parum inquinante.

CENTAURIUM MINUS. *Centaurea menor.* Herba cum summitatibus florentibus.

Gentiana Centaurium L.

Locus. Habitat in terra sabulosa Lusitaniae totiusque Europae. Floret a Iunio ad Augustum. Annua.

Forma. Caules plurimi ex eadem radice, recti, teretiusculi, ancipites, glabri, simplices. Folia radicalia caespitosa, spathulata, oblonga, integerrima, glabra, subcarnosa, petiolis brevibus: caulina sunt opposita, linearia, angusta, obtusa. Flores terni, in corymbum dispositi; corollae rubrae, infundibuliformes, quinquepartitae, in calycibus pariter quinquepartitis.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarissimus.

CERA. *Cera.* Oleum fixum solidum.

Locus. Invenitur in antheris florum, unde apes colligunt, peculiarique modo parant, ut ea forment favos et domicilia muniant: nec minus in floribus, fructibus et foliis plantarum quarumdam reperitur.

Forma. Cera est in offis aut panibus solidis, oleosis, opacis, unctuosis, colore plus minusve flavicante.

Propriet. Nec odor nec sapor ullus. Manducata mollescit, dentibus adhaeret, sed haudquaquam in ore solvitur. In teneris laminis aëri exposita aut rori, albescit, sed dura simul fit et fragilis, dicta tunc *Cera alba:* id fieri etiam potest ope acidi marini dephlogisticati. Ad lenem ignem mollescit, funditur, abitque in fluidum oleosum, pellucidum, quod, ut perfriguit, in pristinum statum redit. Cum quodam gradu exaestuat, accenditur et ardet flamma vivida.

Nec in aqua nec in spiritu vini solvitur; sed solvitur in alcalinis, cum quibus hactenus iungitur, ut in aqua solvatur. Pariter in oleis solvitur.

CEREFOLIUM. *Cerefolio.* Herba.

Scandix Cerefolium L.

Locus. Habitat in campis Europae australis. Colitur in Lusitania. Floret Maio. Annua.

Forma. Caulis est teretiusculus, subangulatus, striatus, glaber, nodosus, viridiusculus. Rami, e nodis prodeuntes, solitarii, alterni, cauli similes. Folia, pariter e nodis nascentia, sunt alterna, petiolata, undique glabra, tenera, grate viridia, bipinnata, pinnulis elongatis, foliolis ovatis, acutis, incisis, margine tenerrime ciliatis, nervis utrinque molliter pubescentibus, petiolis convexo-planis, sulcatis aut striatis.

Propriet. Odor plantae recentis gratus, aromaticus, dum fricatur: is perditum it, cum siccatur. Sapor aromaticus, anisum parumper redolens, gratus, siccae herbae debilior.

CHAMAEDRYS. *Camedrios.* Herba.

Teucrium Chamaedrys L.

Locus. Habitat in locis siccis Lusitaniae. Floret Iunio, Iulio. Perennis.

Forma. Folia sunt ovato-oblonga, obtusa, opposita, utrinque pubescentia, incisa, crenata, breviter petiolata.

Propriet. Odor leviter fragrans. Sapor amarus.

CHAMOMILLA VULGARIS. *Marcella galega.* Herba cum flore.

Matricaria Chamomilla L.

Locus. Habitat in locis incultis cultisque. Floret a Maio ad Iulium. Annua.

Forma. Caules sunt teretes, leviter striati, glabri, superne ramosi: Rami alterni, recti, foliis instructi sessilibus, alternis, subcarnosis, bipinnatis, multifidis, foliolis tenerrimis, acutis, viridibus. Flores sunt terminales, pedunculati, fastigiati, compositi flosculis disci flavis, tubulosis, radii semiflosculis ligulatis, albis. Omnes cinguntur calyce communi hemisphaerico, squamis longiusculis, velut tegulis, imbricato: margine apiceque squamae sunt scariosae, pellucidae.

Propriet. Odor fragrans, gratus. Sapor aromaticus, acris, amarus. In floribus magis conspicuae hae qualitates: siccatis nec his nec herba aliquid perditum it.

CHAMOMILLA ROMANA. *Marcella romana.* Flores.

Anthemis nobilis L.

Locus. Habitat in pratis Europae totius et Lusitaniae. Floret a Maio ad Iulium. Annua.

Forma. Flores sunt compositi, radiati; flosculis disci hermaphroditis, tubulosis, margine incisis, luteis; flosculis radii femineis ligulatis, albis: hi tamen interdum desunt. Omnes continentur calyce communi hemisphaerico, leviter pubescente, sulcato, squamis margine scariosis, angustis imbricato.

Squamae superiores paullo maiores sunt, obtusae, rotundatae, margine pariter scarioso.

Propriet. Odor fragrans, fortis, gratus. Sapor similis, amarus, acris. Hae quidem qualitates potentiores sunt Chamomilla vulgari, cui igitur praeferenda est.

CHELIDONIUM MAIUS. *Celidonia.* Radix. Herba.

Chelidonium maius L.

Locus. Habitat in locis incultis Lusitaniae. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Radix recens est cylindrica, palmum longa, subramosa, fibrillis seu radiculis extus rufis (nigris, dum siccescunt), obtecta pellicula nigricante: parenchymate subcarnoso, flavicante, quod succum luteum fundit, dum transversim secatur. E radice surgunt caules plures, subquadranguli, asperiusculi, pubescentes, inferne simplices, aphylli, superne ramosi; ramis furcatis foliosis, sparsis, teretibus, pubescentibus. Folia pinnata, supra glabra, subtus pubescentia; foliola opposita, petiolata, ovata, obtusa, venosa, lobis obtusis serratis, sinuatis.

Propriet. Odor radicis recentis parum foetet. Sapor est amarus, acris. Manducata salivam flavo tingit colore. Odor herbae parumper foetidus; sapor leviter amarus, acris. Planta sicca est magis amara, minus acris.

CHINCHINA. *Quina.* Cortex.

Cinchona officinalis L.

Locus. Habitat in Peru, maxime in montibus Loxae, in vicinia Rio Bambae, Cuença, Quito, etc. Arbor.

Forma. Cortex venit in frustis variae longitudinis, convolutis aut planis: tener est, duriusculus, fragilis, extus rugulosus, asper, fissuris transversalibus, obtectus subinde muscis exalbidis, colore fusco-cinereo: intus cinnamomi colore, aut ferrugineo et rutilo. Fractus extrema ostendit glabra, aut fibrosa ac aspera.

Propriet. Odorem habet mucidum, saporem amaricantem, blande stypticum, denique parum aromaticum.

CHINA RUBRA. *Quina vermelha.* Cortex.

Haud exploratum habemus, cui arbori debeamus eum corticem, sed persuasum, eiusdem generis esse ac China vulgaris.

Locus. Habitat in iisdem locis ac regionibus, quibus China vulgaris, praeterea quoque in Brasilia. Arbor.

Forma. Cortex in maioribus, crassioribus et maioris ponderis frustis, quam China vulgaris, intus cavis, duas lineas crassis, extus asperis, transversim fissis, saepe obtectis lichene flavicante aut albido. Sub prima tunica est stratum compactum, fragile, obscure rufum, sub hac autem aliud stratum rubrum, fibrosum, lignosum.

Propriet. Odorem habet vel mucidum, vel nullum. Sapor magis stypticus et amarus, quam praecedentis. Maiorem resinae copiam haec continet, quam China vulgaris, quae maiore scatet extracti gummosi copia: quapropter China rubra aptius vino et alcohole, vulgaris aqua paratur.

CICHORIUM SYLVESTRE. *Almeirão* Radix.

Cichorium Intybus L.

Locus. Ad vias et ubivis fere per totam Europam. Colitur etiam in hortis. Floret Iunio. Biennе, vulgare.

Forma. Radix recens est fusiformis, teres, digitum crassa, palmum aut sesquipalmum longa, fibrillis seu radiculis tecta. Cuticulam habet leviter fuscam, cum parenchymate albo, quod, transversim sectum, medullam teretem, duriusculam, radiatam, corticem vero carneum, lactescentem prodit.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarus, initio subdulcis.

CICUTA MAIOR. *Cigude.* Herba.

Conium maculatum L.

Locus. Habitat in locis humidis et incultis Lusitaniae reliquaeque Europae. Floret a Maio ad Iulium. Biennis.

Forma. Caulis tri-quinquepedalis, crassus, cylindricus, fistulosus, ramosus, foliosus, glaber, viridis, maculis fuscis, rufisve notatus. Folia ampla, tripinnata, cum foliolis acuta, laciniis elongatis, dentatis, obscure viridibus, subnitidis.

Propriet. Odor foetidus, murinus. Sapor subaromaticus, herbaceus, nauseosus.

CINNAMOMUM. *Canella.* Cortex.

Laurus Cinnamomum L.

Locus. Habitat in Ceylona, colitur in Sumatra, Java, Malabaria, Brasilia. Arbor.

Forma. Cortex siccus est tener, convolutus tubulis longiusculis, glabris, fragilibus: qua frangitur, apparet fibrosus, asper, planus, colore pallide rubro, intus magis pallido. Eligendus est tenerrimus, flexilis, ruber, subdulcis, acriusculus: reiicienda frusta dura, crassa, fusca, linguam vellicantia. Hic est, cuius sapor caryophyllos indicos refert, sequente sapore styptico, amaro aut viscoso.

Propriet. Odor fragrans, aromaticus, suavissimus. Sapor subdulcis, aromaticus, gratus, dein acris, calefaciens, persistens.

COCHLEARIA. *Cochlearia.* Herba recens.

Cochlearia officinalis L.

Locus. Habitat in locis humidis, maritimis Galliae, Helvetiae, et borealium regionum Europae. Colitur in Lusitania. Floret Aprili et Maio. Annua.

Forma. Caules sunt octo aut decem pollices longi, glabri, teneri, leviter angulati, ramosi, debiles; plurimi ex una radice surgunt. Folia radicalia congesta, longe petiolata, subrotunda, cordata, glabra, viridia, carnosa, succulenta, concava, ad cochlearis instar. Folia caulina subsessilia aut breviter petiolata, subangulata, summa amplexicaulia, ovata, acuta, utrinque unidentata. Corymbi florum terminales, simplices, fastigiati, pedunculis sparsis, asperis.

Propriet. Odor recentis fricatae penetrans, ingratus. Sapor acris, vellicans, amarus: uterque aemulatur Nasturtium aquaticum, dum recens est planta. Siccata folia vix amara sunt.

COLCHICUM. *Colchico.* Radix recens.

Colchicum autumnale L.

Locus. Habitat in pratis totius Europae. Floret Septembri et Octobri. Perennis.

Forma. Radix subrotunda, bulbosa, hinc gibba, illinc plana aut concaviuscula. Obtegitur tunica coriacea, fusca, nervosa: haec autem cingitur pellicula teneriore, flavicante. Parenchyma est solidum, carnosum, album, succulentum: hoc magis insigne est autumno quam vere. Ad latus adnexus est bulbus minor, anno sequenti florens, priori sensim destructo. Si forte vere legitur radix, bulbi haud sumendi sunt, qui elapso anno floruerunt.

Propriet. Odor foetidus, subhircinus. Sapor acris, nauseosus. Manducata radix vellicat et calefacit linguam ac palatum: dissecta haud lactescit, sed succum fundit albescentem, amylo mistum, cultro adhaerentem.

COLOCYNTHIS. *Coloquintidas.* Fructus.

Cucumis Colocynthis L.

Locus. Habitat in insulis Archipelagi, in insula S. Michaëlis, in Orientis locis maritimis. Perennis.

Forma. Fructus est pomum subglobosum, pugni mole, glabrum, viridiusculum, aut albescenti-flavidum, dum maturum est: satis leve, cortice tenero, duriusculo aut coriaceo, qui ambit pulpam spongiosam albam. Ex Aleppo autem veniens pomum est sine cortice, siccum, spongiosum, album, molle, chartaceum, in sex loculos divisum, in quibus nidulantur semina ovata, obtusa, utrinque plana, glabra, flavicantia.

Propriet. Odor nidoris, ingratus. Sapor amarissimus, nauseosus, subacris.

COLOMBO. *Calumba.* Radix.

Genus plantae ignotum.

Locus. Habitat in Asia.

Forma. Radix sicca venit taleis orbicularibus, quarum diametrus semipollicem ad tres pollices aequat, longitudine quadrantis pollicis ad duos, cortice admodum rugoso, crassiusculo, virescente, medulla aut parenchymate flavido, centro subfusco, radiis medullaribus nigricantibus, punctisque luteis.

Propriet. Odor leviter aromaticus: sapor amarus acriusculus. Manducata mollescit, in saliva fere solvitur, quam colore luteo tingit, vellicat linguam palatumque quadam amaritudine, quae diu persistit.

CONTRAYERVA. *Contraherva.* Radix.

Dorstenia Contrayerva L.

Locus. Habitat in Mexico, Peru, insula S. Vincentii et Brasilia. Perennis.

Forma. Radix unum ad tres pollices longa, nodoso-squamata, fibrillis aut radiculis longis, ramosis munita, quae undique, maxime inferne prodeunt: colore extus fusco, intus albido.

Propriet. Odor fragrans, ficuum folia aequans. Sapor acris, amarus, aromaticus. Fibrae nullum paene habent odorem neque saporem, hinc radix crassa eligi debet.

CORNU CERVI. *Corno de veado.*

Cervus Elaphus L.

Locus. Habitat in Europa. Animal quadrupes.

Forma. Cornua sunt grandia, teretia, arcuata, ramosa, rugosa, extus fusca, intus alba: transversim secta, videntur duplici substantia constare, altera media, cuius fibrae remotiusculae, altera peripherica, cuius fibrae adeo implicitae sunt, ut haud distinguantur.

Propriet. Nullum habet odorem, nec saporem. Sed in aqua bulliens, glutinosam partem huic impertit, aut gelatinam, quam continet, relicta terrea parte.

CROCUS. *Açafrão.* Stigmata.

Crocus sativus officinalis L.

Locus. Habitat in montibus Helvetiae, Pyrenaeis, Thraciae, Lusitaniae. Colitur in Hispania et hortis Lusitaniae.

Forma. Stigmata sunt ligulata, pallida, aurantiaca, incisa, lobis pallidis aut luteis. Eligenda sunt recentissima, longiuscula, integra, subalbida, coloris lucidi, bene nutrita, subglutinosa, fragilia, pistu difficilia, humecta manus luteo colore tingentia.

Propriet. Odor singulariter fragrans, subaromaticus. Sapor aromaticus, subamaricans. Manducatus mollitur, glutinosus videtur, salivam luteo colore afficit. Pinsitur difficulter, nisi prius ignis calore siccuerit.

CUPRUM. *Cobre.* Metallum imperfectum.

Locus. Invenitur in terrae penetralibus, varia forma: mimirum 1.° *virgineum* s. nativum; 2.° ope sulfuris in mineram reductum et mixtum cum aliis metallis aut semimetallis; 3.° *salinum*, iunctum acido vitriolico aut marino; 4.° *calcis* forma.

Forma. Metallum rubicundum, solidum: fractum splendet: satis sonorum ac elasticum.

Propriet. Odor est ingratus, dum raditur: sapor stypticus, nauseosus. Pes cubicus cupri pondere aequat 545 libras: gravitas specifica est 77,880. *Brisson.* Malleo pulsatum in laminas teneras extenditur, e quibus ducuntur fila adeo tenuia juxta ac fortia, ut filum cupreum, cujus diametrus aequat decimam pollicis partem, sustineat 299 libras cum quatuor unciis, neque rumpatur. Aeri expositum mutatur, nigrescit, obtegitur rubigine viridi. Igni admotum coerulescit, tunc flavescit, denique rubescit. Postquam probe excanduit, funditur, quo facto aeris contactus in calcem mutat superficiem, atque squamas producit rubras nigrescentes. Laminae super prunis extensae flammae largiuntur colorem coeruleum, viridiusculum. In aqua omnino pura haud mutatur, nisi vaporibus soluta sit. Solvitur in omnibus acidis, e quo connubio varii sales existunt neutri metallici, coloris viridis aut coerulei: nec minus in oleis, liquoribus animalibus et unguinosis, in alcalibus, maxime volatili, quod ipsum coeruleum facit, solvitur.

CYDONIA. *Marmelo*. Fructus, semina.

Pyrus Cydonia L.

Locus. Habitat in Pannonia, colitur in vineis hortisque Lusitaniae. Floret Martio. Arbor.

Forma. Fructus est pomum subglobosum, aut pyriforme, apice umbilicato, cincto foliis quinque; cortice flavo, pubescente, aut albido-tomentoso, carne seu parenchymate solido, flavo, capsula quinqueloculari, seminibus ovatis acutiusculis, hinc planis, illinc convexis, putamine ferrugineo aut fusco, medulla alba.

Propriet. Odor fructus maturi est fragrans. Sapor stypticus, acidulo-dulcis, cum nondum maturuit, admodum stypticus, acidus. Sapor seminum succulentus, mucilagineus.

DIGITALIS. *Dedaleira*. Folia.

Digitalis purpurea L.

Locus. Habitat in sylvis montosis, terrisque sabulosis, rupestribus Lusitaniae aliarumque Europae regionum. Floret aestate. Annua (sic!).

Forma. Folia sunt ovalia, ovali-lanceolata, acuta, dentata, viridia, supra subrugosa, subtus incana subtomentosa.

Propriet. Sapor amarus, subacris.

DULCAMARA. *Doçamarga*. Rami et folia.

Solanum Dulcamara L.

Locus. Habitat in terris humidis umbrosis Lusitaniae. Colitur in hortis, floretque per totam aestatem. Frutex.

Forma. Caules sunt flexuosi, debiles, teretiusculi aut angulati, rugulosi, asperi, ramosi. Folia ovata, petiolata, acuta, glabra: inferiora integra; superiora hastata, petiolis glabris, subtus convexis, supra canaliculatis.

Propriet. Odor caulium foliorumque recentium est subfoetidus, nauseosus, siccorum nullus. Sapor amarus, denique subdulcis.

EBULUS. *Engos.* Radix, cortex interior, folia, flores, baccae, semina.

Sambucus Ebulus L.

Locus. Habitat in locis humidis umbrosis Lusitaniae. Floret Maio et Iunio. Perennis.

Forma. Radix est alba, subcarnosa, teres, digitum et quod excurrit, crassa. Caulis herbaceus, orgyalis, teretiusculus, glaber, striatus, sulcatus, nodis planiusculis, superne ramosus. Folia ampla, impari-pinnata: foliola lanceolata; basi inaequalia, acuta, supra glabra, subtus pubescentia, margine serrata, aequalia, impari majori. Flores albi, corymbosi, corollis rotatis monopetalis, laciniis quinque lanceolatis acutis. Baccae globosae, apice planiusculae, calyce quinquefido coronatae, nigrescentes, glabrae, nitidae, parenchymate succulento puniceo. Semina ovata, subtrigona, rugulosa.

Propriet. Odor radicis debilis, vel nullus; corticis et foliorum foetidus; florum gratior, baccarum nullus. Sapor radicis corticisque amarus, nauseosus, ingratus; foliorum protinus ingratus, sed manducatorum satis amarus, nauseosus, saliva rubro viridiusculo colore tincta. Florum sapor admodum

amarus; baccarum acidus, amarus, seminum etiam amarus.

ELEMI. *Elemi.* Resina.

Amyrus elemifera L.

Locus. Habitat in nova Hispania et Brasilia. Arbor.

Forma. Resina in massis solidis, pallidis, maculis varii coloris, flavi, viridis: in granis albidis seu flavis, aliis opacis, aliis subdiaphanis, fusco-maculatis. Cum recens est, mollitiem cerae habet, etiam magis, cum dentibus manducata mollitur ipsisque adhaeret. Frigore tamen durescit et fragilis fit. Scinditur cultro, quaque id fit, mollis est.

Propriet. Odor fragrans, haud admodum gratus. Sapor est subingratus, amarus, aromaticus. Manducata mollitur, in massas abit, neque dentibus adhaeret, neque solvitur ore. Igni in vase ferreo exposita accenditur, ardetque flamma clara, lucente. Quamvis in aqua haud solvatur, particeps tamen fit aqua frigida, in qua jacet, odoris saporisque.

ENULA CAMPANA. *Enula campana.* Radix.

Inula Helenium L.

Locus. Habitat in pratis umbrosis, pinguibus et montosis, Lusitaniae, Galliae etc. Perennis.

Forma. Radix est grandis, crassa, superne ramosa, extus fusca aut cinerea, intus alba, radiculis aut fibris capillaribus undique cincta. Parenchyma carnosum, medulla alba, annulo punctato coronata, cujus ambitus est incarnatus, radiatus.

Propriet. Odor fragrans, violaceus. Sapor acris, subamarus, aromaticus.

EUPHORBIUM. *Euforbio.* Gummi-resina.

Euphorbia officinarum L. et *antiquorum* Ej.

Locus. Habitat in Aethiopia, aliisque partibus Africae aestuosis. Arbustum.

Forma. Gummi-resina in grandibus lacrimis aut offis variae molis, subglobosis aut longiusculis, siccis, fragilibus, subinde fere ramosis, pluribus foratis, flavidis aut rufis et exalbidis, similibus cerae flavae, sed haud lucidis, nisi duntaxat glabris.

Propriet. Odor debilissimus aut nullus. Sapor protinus haud percipitur, sed postea fit acris, vellicans, ardens, nauseosus diuque inhaerens. Manducatum aut in ore contentum solvitur in saliva, inflammat corroditque partes, unde et diu fauces ea sensatio affligit, quo magis aqua frigida eluuntur. Igni admotum accenditur, ardetque flamma vivida, fumo fuligineque ortis. Tantum in spiritu vini quantum in aqua solvitur, unde aequalem esse gummosam ac resinosam partem, efficimus. Pisti pulvis subtilis spiritus impedit, unde et mortarium contegi et oris nariumque aditus muniri expedit.

FARFARA. *Tussilagem.* Folia.

Tussilago Farfara L.

Locus. Habitat in locis humidis, lutosis totius Europae. Floret Martio et Aprili. Perennis.

Forma. Folia radicalia, longe petiolata, cordato-subrotunda, sublobata, rubro-denticulata, grandia, plana, supra lanuginosa, venosa, subtus tomentosa, incana. Petioli subtus convexi, supra plani, subtomentosi.

Propriet. Odor plantae siccae debilis, sapor amaricans.

FERRUM. *Ferro.* Metallum imperfectum.

Locus. Invenitur per totum orbem ac in omnibus naturae regnis. Fossile, quo statu abundat, reperitur metallicum, nativum aut virgineum, calcinatum, aut ope sulfuris aliarumque rerum in mineram redactum.

Forma. Metallum durissimum, fusco-cinereum, subcoerulescens, fractum monstrat facieculas aut particulas subfibrosas, splendidas.

Propriet. Nullam habet odorem, neque saporem, nisi radatur aut candescat: tunc enim odor peculiaris sentitur et sapor stypticus. Praeter stannum levius est caeteris metallis: cum pes cubicus ferri fabricati pondere aequet 545 libras, fusi pondus specificum sit 72,070 *Brisson.* Cum friget, parum aptum est fundi malleoque pandi, ope vero ignis omnes formas qualescunque obtinet, atque in fila subtilissima duci potest, quae adeo fortia sunt, ut filum, cuius diametrus decimam habet pollicis partem, sustineat 450 libras, neque rumpatur. Est maxime elasticum sonorumque omnium metallorum. Fortiter rasum vel secum, vel magnetis ope, virtutem magneticam acquirit, ferrum igitur attrahit, trahiturque magnete. Aëri, praesertim humido, expositus, vertitur et superficies et interna fabrica in pulverem ferrugineum aut rubiginem, quae *Crocus ferri* aut *martis aperiens* vocatur. Limatura diu in aqua macerata in pulverem subtilissimum fatiscit, coloris nigricantis, *Aethiops martialis Lemerii* vo-

catum. Ignis violentus, sine aëris contactu, fundit ferrum omnino, demum abit facillime in calcem, variis coloribus, ab nigro inde ad puniceum. Si bene ardet, scintillas proiicit cum flamma lucidissima. Solvitur in omnibus acidis; in acido vitrioli aqua diluto solvitur sine negotio et cum fervore, quo facto prodeunt vapores inflammabiles, gas aut aër inflammabilis. Solutio viridis, colata, in crystallos abiens, *Vitriolum viride* aut *ferri* exhibet. In acido nitri facillime solvitur, calore et fervore insignibus, vaporibus rubris simul prodeuntibus, quae gas aut aërem nitrosum constituunt. Solutio haec flava in crystallos haud abit, cum aëris humores attrahat, quod pariter accidit, si ad siccitatem usque evaporata fuerit. In acido marino bene solvitur, avolantibus vaporibus inflammabilibus (eodem modo, quo solutio in acido vitrioli agit): solutio haec viridis est. Denique solvitur, licet aegrius, in acidis vegetabilibus: ex omnibus his solutionibus ferrum nigrescens praecipitatur, si pars plantarum adstringens additur. Alcalia fixa pura aut volatile, aqua diluta, manifesto in ferrum agunt, nam, postquam per aliquot dies digestio continuata fuerit, liquores turbidi fiunt, ferri parte, forma Aethiopis, fundum petente. Iungitur facillime cum sulfure, dum funditur, ac cum omnibus metallis ligatur.

FOENICULUM. *Funcho*. Radix, herba, semina.

Anethum Foeniculum L.

Locus. Habitat in rupestribus Lusitaniae. Floret a Iunio ad Augustum. Biennis.

Forma. Radix est fusiformis, tenera, alba, ra-

mosa, dum senescit. Caulis cylindricus, ramosus, orgyalis, undique striatus, viridis, nodosus. Folia e nodis prodeunt, alterna, bi-tripinnata, multifida, foliola filiformia: petioli teretes, striati, basi vaginantes, vagina cylindrica, concava, sulcata, caulem amplexante. Semina subovalia, alata aut marginata, hinc convexa, illinc plana, utrinque striata, coloris obscuri.

Propriet. Odor saporque totius plantae Anisum aemulantur. Radix vero gratius olet magisque dulcescit, dum recens est, quam ceterae partes: sicca debilior est. Folia, nisi fricentur, debilius olent; cum vero digitis tractantur, aromaticum gratumque habent odorem, saporem aromaticum subdulcem. Similis odor est seminum, sed suavior: sapor etiam aromaticus, dulcis, vellicans, gratus: destillata oleum largiuntur essentiale.

FUMARIA. *Fumaria.* Herba.

Fumaria officinalis L.

Locus. Habitat per totam Europam, in hortis, locis cultis, campis et vineis. Floret ab Aprili inde ad Iunium, et ipso autumno. Annua, vulgaris.

Forma. Caules teneri, ramosi, diffusi, glabri, succulenti, subangulati, octo aut decem pollices longi. Folia alterna, petiolata, bipinnata, glabra, mollia, pallide viridia, ambitu triangularia: foliola ovalia, subcuneata, laciniis incisis, longiusculis, obtusis.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarus, magis etiam, dum siccuit.

GALBANUM. *Galbano*. Gummi-resina.

Bubon Galbanum L.

Locus. Habitat in Africa. Arbustum. Perenne.

Forma. Gummi-resina, aut potius Resina-gumma in lacrimis et frustis siccis, flavis, lucidis, variae molis: aut in massa glutinosa, inter dentes, velut cera, mollita, ad quos arcte adhaeret. Color recentis albidus aut flavus aut luridus, dum vetusta est, lacrimis aut frustulis fragilibus mista. Eligi debet, quae in lacrimis est et gravissime olet, aut, dum haec deficit, ea saltem seligenda, quae a sordibus pura, quae lacrimis abundat et spiritum vini aureo colore imbuit. Haec, quae solvitur, sumenda, reiecta impura coloris fusci et cereae spissitudinis.

Propriet. Odor fortis, ingratus, gummi ammoniacum referens. Sapor subamarus. Manducatum vix in saliva solvitur. Aquam, in qua teritur, lacteam reddit, sed haud penitus in ea solvitur: neque in vino, neque in spiritu vini, neque postremo in aceto. Ea solutio fieri duntaxat potest, terendo Galbanum in mixtura e duabus partibus spiritus vini unaque aquae. Unde efficitur, inesse duas partes resinae unamque extracti gummosi. Haud solvitur in oleis, olea destillata vix tingit colore flavo. Igne accenditur, ardetque flamma albida, fumo plurimo aromatico.

GALLAE TURCICAE. *Galhas*. Nidus insectorum.

Quercus Cerris L.

Locus. Habitat in ea arbore aut quercubus aliis Barbariae et totius Europae australis.

Forma. Gallae sunt tubercula subrotunda, variae molis, partim glabra, partim spinulis aspera, plerumque latere forata, extus cinereo-incana aut viridiuscula, aut fusco-nigrescentia. Parenchyma est solidum, fragile, exalbidum aut fuscum, aut nigrescens intus, cum centro vacuo.

Propriet. Odor nullus. Sapor admodum stypticus. Manducatae linguam faucesque valde adstringunt.

GENTIANA RUBRA. *Genciana.* Radix.

Gentiana lutea L.

Locus. Habitat in montibus Pyrenaeis, Helvetiae, Germaniae et Lusitaniae. Floret a Maio ad Iulium. Perennis.

Forma. Radix est cylindrica, ramosa, rugosa, pedalis, digitum aut pollicem crassa, fungosa aut spongiosa, extus obscure fusca, intus lutea.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarissimus.

GLYCYRRHIZA. *Alcaçuz.* Radix.

Glycyrrhiza glabra L.

Locus. Habitat in locis arenosis, sabulosis Italiae, Hispaniae, Lusitaniae. Floret Iulio. Perennis.

Forma. Radix recens est longa, ramosa, ramis teretibus: extus ferruginea, pennam anserinam, digitum minimum aut pollicem demum crassa, fibris radiculisque munita. Parenchyma carnosum, flavidum, quod, transversim sectum, duos monstrat circulos aut annulos concentricos, punctatos, radiatos, quorum interior magis flavet. Eliguntur radices siccae digiti minimi aut pollicis mole, sed nunquam teneriores.

Propriet. Odor nullus. Sapor satis dulcis cum levissima amaritudine. Manducata mollitur ac mucilaginea videtur.

GRAMEN. *Grama.* Radix.

Triticum repens L.

Locus. Habitat ubique, praesertim in locis arenosis. Floret Iunio. Perennis.

Forma. Radix elongata, teres, tenera, subramosa, glabra, alba: nodosa aut articulata, radiculis capillaribus e nodo quovis prodeuntibus.

Propriet. Odor nullus. Sapor dulciusculus.

GRANATUM. *Romeira.* Flores, cortex, fructus.

Punica Granatum L.

Locus. Habitat in terris siccis Africae, Hispaniae, Lusitaniae. Colitur in hortis. Floret Iunio, Iulio. Arbor.

Forma. Flores (*Balaustiorum* nomine) plicati sunt, constant petalis multis puniceis, ovalibus, subrotundis, calyci crasso, carnoso, coriaceo innatis, qui in quinque lacinias lanceolatas acutas finditur. Cortex fructus est coriaceus, crassus, subrugosus, intus flavido-viridis, extus ruber aut omnino ruberrimus, dum siccuit.

Propriet. Odor nullus. Sapor satis stypticus, praecipue corticis.

GUAIACUM. *Guaiaco.* Cortex, lignum, gummi.

Guaiacum officinale aut *sanctum* L.

Locus. Habitat in insulis Antillis, Jamaica, Hispaniola, Portoricco, Mexico, Brasilia. Arbor.

Forma. Cortex durus, lignosus, lineam circiter crassus, multis stratis compositus, facile separandis, fissuris plenus directione variis, insulas fere varias formantibus squamosas, maculis conspersus rufis subcinereis aut luteis, intus exalbidus aut luteus. Lignum durissimum, satis ponderosum, vel taleis longitudine fissis obscure viridibus, undis obscurius viridibus, maculisque longiusculis, nigris, aut flavidis ad ligni buxei instar, sine undis punctisque; vel taleis transversim sectis, quarum centrum obscurius viride, pallidius alburnum. Gummi, alias resina aut gummi-resina, prostat in offis variae molis, fragilis, semi pellucida: qua frangitur, lucet, colore gaudet obscure-luteo, subrutilante aut viridiusculo in eodem frusto, composita granis variae molis variique coloris.

Propriet. Odor corticis lignique est subaromaticus, si raditur aut calefit. Sapor est subacris, aromaticus et amarus. Quae qualitates magis in cortice percipiuntur. Resinae odor est fragrans, sapor aromaticus, acris, amarus. Solvitur fere penitus in spiritu vini, pauxillum in aqua.

GUMMI AMMONIACUM. *Gomma ammoniaco.* Gummi-resina.

Ignotum genus plantae, quae id exhibet.

Locus. Habitat in Aegypto.

Forma. Gummi-resina in granis et lacrimis separatis, puris, turis specie, fragilibus, splendentibus, albidis aut flavis. Haec est optima species. Aut venit in massis et frustis majoribus, glutinosa, molliuscula, viridis, sparsa lacrimis aut granis albidis, laevibus, lucidis, amygdalarum more.

Propriet. Odor fragrans, fortis gratior Galbaui: sapor subdulcis, amarus, acris, nauseosus. Calore mollitur, frigore durescit, fragileque fit. Manducatum mollitur, dentibus adhaeret, maxime ea, quae in lacrimis venit, denique in saliva solvitur, eamque reddit lacteam. Aqua trita vertitur in liquorem lactei coloris, e quo resina plurima fundum petit, clarescente quod supernatat. Solvitur tritum cum aceto, vino, cerevisia, tingitque spiritum vini colore rufo in luteum vergente. In oleis haud solvitur, nisi molliatur in destillato aut essentiali, cui luteum impertit colorem. Facile funditur aut liquescit in vase ferreo igni imposito: flammae admotum accenditur ardetque flamma vivida, alba cum fumo et fuligine.

GUMMI ARABICUM. *Gomma arabia*. Gummi.

Mimosa nilotica L.

Locus. Habitat in Arabia, Aegypto et Senegalia. Arbustum.

Forma. Gummi in frustis variae molis, jam subrotundis, jam longiusculis, siccis, aliis albis, aliis flavidis, diaphanis, hyalinis, sed extus subrugosis. Eligitur album, vitri specie pellucidum, purum, penitusque in aqua solubile.

Propriet. Nullo gaudet odore, nullo sapore. Manducata duritiem aliquam protinus ostendit et frangitur: dein vero mollitur, dentibus adhaeret, ac salivae ope in mucum vertitur. In aqua penitus solvitur, solutione clarissima, insipida, mucilaginea. Nec spiritus vini, nec olea solvunt. Mucilago tamen ejus potis est corpora cum aqua miscere, quae alioquin id connubium respuunt, nimirum olea, adipem, bal-

sama, resinas, gummi-resinas, tincturas, ipsumque hydrargyrum. Flammae admotum nec funditur nec ardet: sed turget, panditur, ac in carbonem mutatur, qui ignem servat, denique in cinerem redactus.

GUMMI GUTTAE. *Rom.* Gummi-resina.

Cambogia Gutta. L.

Locus. Habitat in Malabaria et Ceylona. Arbor.

Forma. Est gummi-resina, in offis aut frustis rotundatis, flavido-rutilantibus, duriusculis, fragilibus: qua frangitur, planis, lucidis et opacis.

Propriet. Nullum habet odorem. Sapor succosus, acris. In saliva vix solvitur, quam aureo tingit colore. Dentibus facile frangitur, dum manducari pergitur, dentibus adhaeret, priusquam solvatur. Flammae admotum ardet vivida flamma scintillante, cum fuligine, relictis cineribus. In aqua juxta ac alchole penitus solvitur: tinctura vero est aurea: solutio aquosa pallide flava turbida, quae ut perfriguit, resinam multam deponit. Melius solvitur in lixivio alcali vegetabilis frigido: ea solutio est saturior, neque aliquid ex ea praecipitatur. Nec solvitur in oleis fixis, nec ullam mutationem cum iis patitur; oleis destillatis impertit colorem rubrum, si cum iis digeritur, quamvis haud penitus solvatur.

HEDERA TERRESTRIS. *Hera terrestre.* Herba.

Glechoma hederacea L.

Locus. Habitat in vallibus Lusitaniae et Europae omnis. Floret ab Aprili inde ad Junium. Perennis.

Forma. Caulis est tetragonus, reptans, pubescens,

scaber: palmum longus, ramosus, ramis oppositis, cauli similibus. Folia reniformia, crenata, ciliata, rugosa, supra scabra, subtus punctis concavis notata, nervis pubescentibus; petiolis teretiusculis, asperis, stria longitudinali.

Propriet. Odor subfragrans, sed fortior, dum fricantur. Sapor amaricans, aromaticus, acris.

HELLEBORUS NIGER. *Helleboro negro.* Radix.

Helleborus niger L.

Locus. Habitat in alpibus et montibus circa Nicaeam, in locis rupestribus Lusitaniae. Floret a Martio ad Maium. Perennis.

Forma. Radix est teres aut bulbosa, crassa, e qua prodeunt rami brevissimi, articulati: ex his vero radiculae plurimae, longiusculae, carnosae, teretes, quae siccatae rugosae sunt, teneriores, fragiles, extus nigrae, intus albae.

Propriet. Odor est foetidus. Sapor acris, nauseosus, subamarus, persistens: eae qualitates minus in radice sicca observantur.

HORDEUM. *Cevada.* Semina.

Hordeum vulgare et *distichon* L.

Locus. Colitur in Lusitania. Annuum, vulgare.

Forma. Semina sunt ovali-oblonga, média parte crassiora, utrinque attenuata, glabra, pallida, latere convexo-sulcata, subangulata, aristae vestigio in apice. Parenchyma album, farinosum.

Propriet. Odor nullus. Sapor farinosus, mucilagineus.

HYOSCYAMUS. *Meimendro*. Folia.

Hyoscyamus niger L.

Locus. Habitat ad margines viarum, in terris incultis, ruderatis et in muris vetustis per totam Europam. Floret aestate. Biennis.

Forma. Folia sunt alterna, sessilia, amplexicaulia, ovato-lanceolata, mollia, villosa, pallide viridia, sinuato-laciniata. Caulis est erectus, teres, bipedalis, lanuginosus, viscidus, superne ramosus, ramis alternis erectis.

Propriet. Odor est foetidus, sapor mucilagineus, acris. Folia sicca prunis imposita scintillas proiiciunt, crepitant, detonant nitri more, fumo simul, velut tabaci, edito.

HYSSOPUS. *Hysopo*. Folia et summitates.

Hyssopus officinalis L.

Locus. Habitat in terris montosis Europae. Colitur in Lusitania. Floret Iulio et Augusto. Frutex; perennis.

Forma. Caulis est erectus, pedalis, ramosus, nodosus, tetragonus, scaber, mollissime pubescens. Rami alternatim oppositi, superne canaliculati. Folia lanceolata, angusta, obtusa, integerrima, pollicaria, viridia, interdum subaspera, nonnunquam glaberrima, subciliata, punctata.

Propriet. Odor fragrans, aromaticus, fortis. Sapor aromaticus, amaricans, camforam aemulans. Manducata herba recens stimulat ac calefacit linguam et fauces, camforae ad instar, sed blandius.

JALAPPA. *Jalappa*. Radix.

Convolvulus Jalappa L. *Conv. Lavradio* Elem. bot. *Mirabilis dichotoma* L.

Locus. Habitat in Mexico et Brasilia. Perennis.

Forma. Radix sicca orbiculis advehitur longiusculis, solidis et ponderosis, aut tuberibus integris scissisve ad longitudinem, extus rugulosis, fuscis aut nigrescentibus, intus cinereis, venosis, annulis concentricis nigricantibus, centro nigro-punctato. Eligenda est, quae taleis grossis, aut tuberibus pyriformibus ponderosis constat, quae venis et annulis insigniuntur, fractu difficilibus, pistu facilibus, coloris cinerei, saporis acris.

Propriet. Nullus odor. Sapor acris, nauseosus. Manducata vellicat et irritat fauces. Igni admotum frustum, accenditur et funditur resina, mox extinguitur fumo.

IPECACUANHA. *Ipecacuanha*. Radix.

Psychotria emetica L.

Locus. Habitat in Mexico et Brasilia. Perennis.

Forma. Radix est cylindrica, pennae anserinae mole, cinerea, varie torta, annulata, annulis approximatis. Parenchyma fragile, fuscum; filum centrale ligneum, a quo facile cortex secedit.

Propriet. Odor subnauseosus. Sapor acriusculus, amarus, minus fili centralis, quod insipidum est. Pista in mortario excitat pulverem subtilissimum, qui nares irritat sternutationemque producit.

IPECACUANHA ALBA. *Ipecacuanha branca.* Radix.

Viola Ipecacuanha L.

Locus. Habitat in Brasilia. Perennis.

Forma. Radix est cylindrica, sensim versus finem attenuata, sulcis transversalibus semicircularibus, vario modo torta, exalbido-cinerea. Parenchyma durum, fragile, filo centrali ligneo, flavicante, quod transversim sectum ostendit fibras stellatas aut radios.

Propriet. Odor habet aliquid aromatici, nauseosi. Sapor subaromaticus, nauseosus, acris, haud ingratus.

IUNIPERUS. *Zimbro.* Fructus.

Juniperus communis L.

Locus. Habitat in locis incultis, siccis, arenosis, rupestribus Lusitaniae reliquaeque Europae. Floret Aprili et Maio. Arbustum vulgare.

Forma. Fructus est bacca subglobosa, parva, principio viridis, ut maturescit, coeruleo-nigricans, scatens liquore oleoso viscido rubro, continens semina tria aut quatuor triangularia.

Propriet. Odor est aromaticus. Sapor acris, aromaticus, balsamicus, subdulcis.

KINO. *Kino.* Gummi resina.

Ignotum genus plantae, quae id producit.

Locus. Habitat in Africa ad ripas fluminis Gambiae.

Forma. Kino est gummi-resina, quae frustis variae molis venit, dura, fragilis, opaca, sublucida, fusca; qua frangitur, splendens.

Propriet. Odor nullus. Sapor satis stypticus, dulcedine quadam novissime accedente. Manducata protinus adstringit, dentibus dein adhaeret, saliva solvitur, eamque rubro colore tingit. Igni admota aegre accenditur, haud funditur, sed comburitur cinere relicto. Solvitur tum aqua, tum spiritu vini, iisque rubrum colorem impertit: mixtae solutiones cum vitriolo viridi, fiunt nigrae.

LACCA. *Lacca.* Resina.

Croton lacciferum L.

Locus. Habitat in Ceylona et India. Arbor.

Forma. Resina plus minusve rubra, dura, fragilis, subdiaphana, plena nodis aut colliculis, multisque foraminibus, quae in parvulas caveas mediae resinae abeunt: haec, dum adhaeret ramusculis, in quibus gignitur, vocatur *Lacca formicarum* aut *in ramis*, optima existimata. Soluta his ramusculis ac oblata in offis variae molis, variaeque formae, quae interdum minus sunt coloratae, vocatur *Lacca in granis*, sine dubio eadem ac prior, nisi quod color iam sit amissus. Dum denique in laminis exhibetur, vocatur *Lacca in laminis*, quae in indicem medicaminum haud recipienda est, quod arte paratur, colore exuto.

Propriet. Nullus odor, nullusque sapor. Manducata dentibus frangitur, sed non mollitur, tingit tamen salivam carneo colore. Flammae admota mollitur, fluit et ardet flamma splendida sine fumo, odore grato: sed protinus ut removetur, durescit illico et magis fragilis fit. In aqua haud solvitur: fervida ipsi adimit colorem puniceum. Nec in fixis

oleis nec in destillatis solvitur, vix ea tingens colore flavido. Solvitur in spiritu vini, licet aegrius, ipsique impertit saporem amarum et stypticum: tinctura est rubra. Solvitur fere penitus in oleo tartari per deliquium et in spiritu salis ammoniaci vinoso. *Bucholz*. Haud etiamnum patet, succus sit Lacca ex arbore stillans, aëre coagulatus, aut colligatur insectis, quorum reliquiae in cavitatibus reperiuntur, quaeque forte massam eam ad ramusculos affigunt.

LADANUM. *Ladano*. Resina.

Cistus creticus L.

Locus. Habitat in Candiae, aliarumque Archipelagi insularum montibus. Arbustum.

Forma. Resina nigrescens, emplastri duritie, frustis magnis, quae in vesicis apportantur; aut solida, dura, sicca, opaca, fusca aut nigrescens, frustis teretibus aut taleis tortis, quae fractae lucique expositae superficiem monstrant punctis splendentibus refertam.

Propriet. Odor subaromaticus, gratus: sapor subamarus, balsamicus. Manducata haec resina in saliva haud solvitur. Flammae admota accenditur, ardetque flamma clara, fumoque suavi. Leni igni apposita mollescit: aucto funditur, emisso grato odore. Solvitur in spiritu vini rectificato, tanto plus, quanto purior est. Haud solvitur in aqua, cui tamen impertit fragrantiam suavem, maxime cum ea destillata. In nullo oleo solvitur, quanquam ea tingat colore rubro-fusco. Consuescunt admiscere arenam plurimam subtilem, ut pondus augeatur.

LAPIS CALAMINARIS. *Pedra calaminar.* Minera zinci calcinati.

Zincum Calaminaris L.

Locus. Habitat in Anglia, Silesia, Pannonia, Polonia.

Forma. Lapis calaminaris specie terrae seu ochrae magis minusve compactae, subinde solidae et lapidis ad instar durae provenit, interdum mollis et fragilis terrae more, nonnunquam discedentis in grana, velut arena, saepe in laminis. Plerumque tuberculis et cavitatibus plena, colore cinereo, flavo aut fusco: sparsis nonnunquam particulis lucidis et splendentibus, sed nunquam metallorum more.

Propriet. Neque odore, neque sapore insignitur. Acie chalybis pulsata, licet dura sit, haud scintillas edit. Ad ignem flavescit. Caloris adminiculo solvitur in acido vitrioli, et fervore in acido nitroso: solutiones evaporatae exhibent crystallos vitrioli zinci et nitri zinci. Tubuli fusorii ope haud funditur, si ferrum habet admixtum: tunc magnete attrahitur, coloreque gaudet magis fusco. Viridem adipiscitur colorem, dum cum sale microcosmico, viridi-flavum, dum cum borace igni exponitur. Si haec fusa corpora magna copia in solutione adsunt, opaca redduntur, formatis zinci floribus albis, qui flavescunt et ardent flamma viridi-coerulea. Ex analysi accurata, quam Bergmannus instituit, colligitur, lapidem calaminarem verum esse calcem zinci puram, mixtam parca calcis ferreae copia, magnaque argillae et terrae siliceae quantitate.

LAURUS. *Loureiro.* Folia, baccae.

Laurus nobilis L.

Locus. Habitat in Lusitania, Hispania, Graecia et Oriente. Floret Martio et Aprili. Arbor.

Forma. Folia alterna, petiolata, lanceolata, plus minusve undulata, dura, coriacea, nervosa, viridia, utrinque glabra, unum duosve pollices lata, tres vel quinque longa. Baccae cum olivarum fructibus comparandae, ovales, coerulescentes aut nigrae sunt, dum maturae, sublucidae, uno duntaxat loculo, in quo nucleus bipartibilis residet, qui solidus est, dum siccescit.

Propriet. Odor est aromaticus: sapor acris, aromaticus, subamarus.

LAVANDULA. *Alfazema.* Calyces et flores.

Lavandula Spica L.

Locus. Habitat in locis sabulosis Italiae, Galliae et Hispaniae, colitur in hortis Lusitaniae. Floret Junio et Iulio. Fruticulus.

Forma. Flores sunt caesii, bilabiati, calycibus cincti tubulosis, striatis, pubescentibus, apice coerulescentibus, incisis, quadrifidis.

Propriet. Odor fragrans, fortis, suavis. Sapor aromaticus, subamarus, odoris aemulus. Manducata os parum calefacit.

LICHEN ISLANDICUS. *Musgo islandico.* Herba.

Lichen islandicus L.

Locus. Habitat in terra sterili, sicca, rupestri Europae, maxime in Islandia, in borealibus regionibus,

nec minus in australibus, nimirum Italia, Gallia meridionali, Helvetia, Germania.

Forma. Est lichen foliaceus, coriaceus, glaber, cinereus, olivaceus: foliola supra convexa, subtus concava, subinde maculis sparsa, quae in colliculos farinosos mutantur, foveolis plena, in lacinias lineares obtusas margine sinuosas ciliatas fissa.

Propriet. Odor nullus. Sapor subamarus.

LINUM. *Linhaça.* Semina.

Linum usitatissimum L.

Locus. Habitat in campis Europae australis, colitur in Lusitania et per omnem terrarum orbem. Floret Maio et Iunio. Annuum.

Forma. Semina sunt ovata, acuta, plana, lucida, paullo ultra lineam longa, olivacea, lurida, intus alba.

Propriet. Odore carent: sapor insipidus, mucilagineus. Semina integra cum aqua fervida dant mucilaginem satis limpidam, quod haud accidit aqua frigida.

MAIORANA. *Mangerona.* Herba.

Origanum Maiorana L.

Locus. Colitur in hortis, patria haud cognita. Floret a Maio ad Augustum. Annua.

Forma. Caules recti, quadrangulares, nodosi, pubescentes, statim a basi ramosi, ramis alternatim oppositis, solitariis, caules aequantibus. Folia sunt opposita, e nodis caulium nascuntur, subsucculenta, ovalia, obtusa, petiolata, vix pubescentia, striata, margine subundulata.

Propriet. Odor fragrans, fortis, gratus. Sapor aromaticus, subamarus, acris.

MALUS LIMONIA ACIDA. *Limão azedo.* Cortex, succusque fructus.

Citrus Medica β.

Locus. Habitat in India orientali. Colitur in Hispania, Lusitania et Brasilia. Floret a Martio ad Iunium. Arbor.

Forma. Fructus est bacca ovalis, utrinque attenuata, lutea.

Propriet. Odor corticis est fragrans, aromaticus, gratus. Sapor aromaticus, vix amarus: succi admodum acidus.

MALVA VULGARIS. *Malva.* Folia.

Malva Sylvestris et *rotundifolia* L.

Locus. Habitat in locis incultis, ad margines viarum etc., in Lusitania. Floret Maio, Iunio et Iulio. Annua.

Forma. Folia prioris speciei sunt alterna, petiolis elongatis, subrotunda, basi truncata: inferiora septemsuperiora quinqueloba, lobis obtusis, serratis; viridia, pubescentia, tres pollices lata. Folia alterius speciei sunt minora, orbicularia, cordata, subquinqueloba, crenata, pallide viridia.

Propriet. Nullus odor, neque sapor: sed satis mucosa est planta.

MANNA. *Manna.* Succus congelatus dulcis.

Fraxinus Ornus et *excelsior* L.

Locus. Habitat in Europa australi, maxime in Calabria et Sicilia. Arbor.

Forma. Manna est succus concretus melleus, referens mel crystallos formans, exalbido-flavicans, quem videmus vel in tubulis et frustis elongatis, molliusculis, fragilibus, quaeque franguntur in granula albidiora; aut in offis variae formae, secum invicem conglutinatis, mollibus, viscidis, teneris. Prima forma appellatur *Manna in lacrimis*, optima censetur: altera est *Manna vulgaris.* Praeter has, venum it quoque alia varietas satis mellea, viscida et humida, *Manna calabrina* dicta, quae, etiamsi magis purget, est reiicienda.

Propriet. Nullus odor. Sapor dulcis melleus. Manducata videtur farinosa protinus, dein in saliva solvitur, quo facto sapore insignior est. In aqua bene solvitur, citius in fervida, cujus pondus aequale sufficit. Sed postquam refrixit solutio, crystallorum forma fundum Manna petit. Solvitur quoque in spiritu vini rectificato, ope caloris, sed minime in oleis fixis aut expressis. Flammae admota funditur, spumat, panditur et ardet flamma coerulea, multas scintillas flavas proiiciens.

MARRUBIUM. *Marroios.* Folia.

Marrubium vulgare L.

Locus. Habitat ad margines viarum, in locis incultis Lusitaniae. Floret a Maio ad Iulium. Perennis.

Forma. Folia sunt ovalia, sed saepe ovata, aut subrotunda, rugosa, utrinque villosa, inaequaliter crenata, incana, pollicaria, petiolis striatis. Caules erecti, tetragoni, albido tomento obducti, ramosi. Rami oppositi similes caulibus.

Propriet. Odor fragrans, gratus, praecipue si folia fricantur. Sapor amarus, subacris, persistens.

MASTIX. *Almecega da India.* Resina.

Pistacia Lentiscus L.

Locus. Habitat in Chio. Arbor.

Forma. Resina solida in granis aut lacrimis ovatis, variae molis, albis, pallidis seu flavicantibus, pellucidis, superficie saepe opaca, fragilibus: qua frangitur, lucet ad vitri instar. Eligenda, quae pura est, pellucida, in lacrimis grandibus, quaeque dentibus adhaeret, ut cera, quae sicca est et facile dentibus mollitur.

Propriet. Odor aromaticus singularis. Manducata dentibus, in massam coit subrigidam, albam, cerae albae aemulam, sed quae saliva haud solvitur. In aqua haud solvitur, nisi quod impertiat odorem: in spiritu vini maximam partem solvitur, decima fere parte superstite in vasis fundo.

MATRICARIA. *Matricaria.* Herba florens.

Matricaria Parthenium L.

Locus. Habitat in locis incultis, rupestribus Europae, culta in hortis Lusitaniae. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Caules sunt recti, teretes, striati, glabri, subramosi, bipedales. Folia alterna, petiolata, ampla, pinnata, foliolis pinnatifidis, laciniis ovatis, oblongis serratis, colore pallide viridi. Flores nascuntur e fastigiis caulium ramorumque, pedunculati sunt, corymbosi. Discus continet flosculos hermaphroditos, flavos, tubulosos; radius flosculos femineos albos, lingulatos, oblongos, tridentatos, glabros, supra sulcatos, subtus rugulosos. Omnes

comprehenduntur calyce communi hemisphaerico, sulcato, squamis imbricato, margine scariosis, lacero-ciliatis.

Propriet. Odor est fragrans, Chamomillae similis; sed fortior. Sapor subamarus, aromaticus.

MEL. *Mel.*

Locus. Habitat in nectariis florum, unde sugitur ab apibus, quae dein in favis depositum servant ad nutrimentum.

Forma. Mel est verum plantarum saccharum, solutum in mucilagine earum, in forma liquida, saepe granis coactum, nonnunquam, praesertim in Brasilia, liquidum olei ad instar, colore albido aut flavo. Eligendum est album, dulce, sine alius-saporis vestigio.

Propriet. Sapor est dulcis, aromaticus, sed varius tamen pro diversa plantarum natura, e quibus apes id sugunt: namque interdum et cum amaritudine dulcedo mixta est. Cetero cum saccharo congruit. Odor est peculiaris, simul tamen plantarum aliquid referens, e quibus apes mel collegerunt.

MELILOTUS. *Meliloto.* Herba florens.

Trifolium Melilotus officinalis L.

Locus. Habitat inter segetes et in locis cultis per omnem Europam: colitur quoque in hortis Lusitaniae. Floret per totam aestatem. Annua, biennis.

Forma. Caules sunt teretes, glabri, virides, bi-tripedales, ramosi; ramis alternis, angulatis, striatis, glabris. Folia alterna, petiolata, ternata; foliola oblonga, pollicaria, apice truncata, serrata, utrinque

glabra, supra obscurius, subtus pallidius viridia; lateralia subsessilia, medium maximum, petiolatum. Flores spicati, lutei: corolla papilionacea, cuius carina brevior est alis: calyx tubulosus, quinquefidus.

Propriet. Odor est fragrans, suavis, in planta sicca fortior quam in recenti. Sapor subamaricans.

MELISSA CITRINA. *Herva cidreira.* Herba.

Melissa officinalis L.

Locus. Habitat in montibus Europae australis et locis humidis Lusitaniae. Colitur in hortis. Floret a Iunio ad Augustum. Perennis.

Forma. Caulis est quadrangulus, articulatus, parum pubescens; inferne ramosus, ramis oppositis, alternis, denuo ramosis. Folia alternatim opposita, petiolata, cordata, obtusa, serrata, rugosa, supra viridia, subpubescentia, colliculis plena, subtus pallidiora, foveolis plena, quae cum colliculis paginae superioris congruunt.

Propriet. Odor fragrans, corticem citri redolens. Sapor subacris, aromaticus.

MENTHA OFFICINARUM. *Hortelã vulgar.* Folia.

Mentha crispa L.

Locus. Habitat in Sibiria. Colitur in hortis Lusitaniae, et sine cultura provenit in novalibus. Floret a Iulio ad Septembrem.

Forma. Folia sunt ovali-subrotunda, cordata, pollicaria, subtus pubescentia, supra rugosa, margine dentato. Opposita prodeunt e caulibus rectis, tetragonis, nodosis, ramosis, petiolis brevibus.

Propriet. Odor foliorum tum recentium tum sic-

corum fragrans, fortis. Sapor aromaticus, calefaciens linguam faucesque.

MENTHA PIPERITA. *Hortelä apimentada.* Folia.

Mentha piperita L.

Locus. Habitat in locis humidis Angliae. Colitur in hortis Lusitaniae. Floret a Iulio ad Septembrem.

Forma. Folia sunt ovata, acuta, serrata, ciliata, utrinque pubescentia, inferiora tamen magis villosa et foveolis plena. Longitudo est duorum pollicum, opposita sunt, petiolis brevibus.

Propriet. Odor fragrans, subcamforaceus: sapor similis. Manducata vellicant et calefaciunt linguam faucesque, superstite demum sensu frigoris.

MERCURIUS VIVUS. *Azogue.* Metallum.

Hydrargyrum vivum L.

Locus. Habitat in Germania, Gallia, Hispania, Lusitania et Brasilia. Invenitur in terrae penetralibus quinque formis differentibus: nimirum: 1. *virginea*, effuso quippe inter rupes et mineras; 2. *calcis* forma, per se praecipitati; 3. *salina*, iuncti vel acido vitrioli vel marino; 4. *amalgamatis* cum aliis metallis; 5. sulfuris ope in mineram redacti, unde existit *Cinnabaris.*

Forma. Metallum fluïdum, sed haud humectans, coloris argentei, splendens.

Propriet. Odor nullus, nisi digitis fricetur, tunc enim odorem spirat peculiarem: sapor nullus. Pondere praestat omnia metalla, exceptis auro platinaque: pes cubicus aequat 949 libras: gravitas specifica est 135,681 *Brisson.* Facillime dividitur in globulos,

quorum superficies semper est convexa. Nunquam aëre mutatur, neque aqua, sed panditur contrahiturque, calore aëris vel tantillum mutato. Diu tritum, vertitur in pulverem cinereum, *Aethiopis per se* nomine, qui protinus ut calefit, iterum statum recuperat metallicum. Tubuli ope fusorii vertitur in vapores albos, qui ipsum sunt hydrargyrum, admodum divisum, citra ullam mutationem. Igni impositus fervet, liquoris more, diu priusquam incendatur, fumum album spargens, qui et ipsum hydrargyrum constituit, sine ulla mutatione. Candefactus per longum tempus, absque aëris contactu, calcinatus abit in calcem ruberrimam, squamosam, splendentem, dictam *Mercurius praecipitatus per se.* Facillime solvitur in acido nitroso, aegrius in acido vitrioli, nisi id ferveat: haud solvitur in acido marino, nisi prius phlogisto privetur ac reducatur in calcem. Iungitur bene tritum aut fusum cum sulfure, unde nascitur *Aethiops mineralis*, et sublimatione *Cinnabaris*. Penetrat et solvit, ope triturationis et fusionis, fere omnia metalla, quod connubium *amalgamatis* nomine venit.

MEZEREUM. *Mezereão*. Cortex radicis.

Daphne Mezereum L.

Locus. Habitat in Europa australi et in collibus Lusitaniae. Floret Martio et Aprili. Frutex.

Forma. Cortex radicis siccae venit in frustis longiusculis mollibus, textu fibrarum tenerrimarum, adeo fortium, ut difficulter frangantur, extus obductus tunica glabra, colore rufescente.

Propriet. Cortex radicis siccae nullo odore praeditus est. Saporem fere nullum habet, sed diu in ore servatus, est acris, ardens, diuque in faucibus haeret. Dum recens est, acerrimus esse et fauces fere iuflammare consuescit.

MILLEFOLIUM. *Millefolio.* Folia et flores.

Achillea Millefolium L.

Locus. Habitat in campis et pratis Europae. Floret a Maio ad Iulium. Perennis.

Forma. Folia sunt sessilia, elongata, amplexicaulia, alterna, bipinnata, opposita, foliolis lanceolatis, dentatis, supra pubescentia, subtus subtomentosa. Flores compositi radiati, albi. Flosculi disci hermaphroditi, tubulosi: radii feminei, lingulati. Calyx communis ovatus, pubescens, imbricatus, squamis ovalibus, concavis, ciliatis.

Propriet. Odor aromaticus, praecipue dum fricantur. Sapor amaricans, aromaticus et acris, perinde in sicca ac in recenti planta: evidentius haec in floribus animadvertuntur.

MORUS. *Amora.* Fructus.

Morus nigra L.

Locus. Habitat in locis maritimis Italiae et Persiae. Colitur in Lusitania. Arbor.

Formae. Fructus est bacca ovalis, obtusa, sanguineo-nigricans, succulenta, lucida, composita plurimis aliis baccis exiguis imbricatis, in receptaculo carnoso, cylindrico.

Propriet. Sapor dulcis, vinosus. Manducati extra-

hitur succus, residuis in ore pelliculis, receptaculo et seminibus, tingit salivam rubro colore.

MOSCHUS. *Almiscar.*

Moschus moschiferus L.

Locus. Invenitur circa umbilicum animalis, in Tataria, Sibiria et China.

Forma. Substantia adiposa, mollis, subliquida, dum recens est. Ut siccescit, grana constituit ferruginea aut nigricantia, aliis nigris et duris mixta, nulla peregrina re accedente. Cingitur vesica pellis subrotunda, pilis hirsuta, ovi columbini mole, adeo turgida, ut nunquam aperta fuisse videatur. Optimus est, qui in vesica sua nativa servatur, tenera, pelle alba: aut si seorsim moschus extat, debet esse ferrugineus, amarus, odore fortissimo, si copia quaedam adest; suavissimus, si pauxillum aut cum aliis rebus miscetur.

Propriet. Odor peculiaris, fortis, persistens. Sapor amarus, nauseosus, acriusculus. In ferrum candens iniectus, ardet fumisque penitus avolat, superstite paucissimo cinere. Solvitur partim aqua, partim spiritu vini. Iuxta analysin meliorem, continet resinam muco nuptam, extractum amarum et salem quemdam. Rarissime purus obtinetur.

MYRRHA. *Myrrha.* Gummi-resina. Ignotum plantae genus, quae producat.

Locus. Habitat in Arabia ac Abyssinia.

Forma. Myrrha est gummi-resina solida, in frustis variae molis et figurae, subinde nuces exceden-

tibus, coloris obscure rubri, subpellucidis, fragilibus: qua franguntur, sublucidis, maculis aut striis semicircularibus, unguiformibus.

Propriet. Odor est fragrans: sapor amarissimus, acris, subaromaticus. Manducata sensim dentibus adhaeret: maxima pars in saliva solvitur eamque lacteo colore imbuit. Flammae admota, vivide ardet, sed aegre, fumans et scintillans, superstite carbone cinereo. Digesta in aqua fervida, solvitur penitus, sed protinus ut refrigescit, pars resinosa fundum petit. Solvitur pariter in spiritu vini, tinctura flávido-rubicunda. Nec in oleis fixis solvitur nec in volatilibus.

MYRTUS. *Murta.* Folia, bacca.

Myrtus communis L.

Locus. Habitat in Europa australi, in nemoribus Lusitaniae, colitur in hortis. Floret a Maio ad Iulium.

Forma. Folia sunt ovato-lanceolata, petiolata, acuta, utrinque glabra, subrugosa. Baccae sunt ovales, ervorum mole, rugulosae, nigrescentes, umbilicatae.

Propriet. Odor foliorum siccorum debilis. Sapor aromaticus, gratus: recentium stypticus et amarus. Odor recentium gratus et fragrans. Odor baccarum etiam fragrans, sapor aromaticus, leviter stypticus, dulcis.

NASTURTIUM AQUATICUM. *Agriões.* Herba recens.

Sisymbrium Nasturtium L.

Locus. Habitat in fontibus et rivulis Europae, Americae septentrionalis et Lusitaniae. Floret Maio et Iunio. Perennis.

Forma. Caules fistulosi, sulcati, succulenti, folia impari-pinnata: foliola subrotunda subcordata.

Propriet. Sapor vellicans, subamarus; odor peculiaris, sapori analogus.

NICOTIANA. *Herva santa.* Folia.

Nicotiana Tabacum L.

Locus. Habitat in America australi, ubi perennat: colitur et ibidem et in America boreali, et in insulis vicinis, in multis Asiae regionibus, Europaeque et in Lusitania. Floret a Iunio ad Augustum. Annua.

Forma. Folia ampla, pedalia et ultra, ovato-lanceolala, acuta, glabra, supra viridi-obscura, subtus pallidiora; nervis costisque exalbido-viridiusculis, pubescentia et viscida. Inferiora subdecurrentia, superiora sessilia, nec decurrentia.

Propriet. Odor foetidus, nauseosus. Sapor acris, subamarus. Manducata folia recentia muci aliquid habere videntur, linguam faucesque, parumper vellicant, quam ob causam salivae plurimum in ore confluit. Digitis fricta exsudant substantiam fuscam, glutinosam. Folla sicca flammae admota ardent, prunis iniecta scintillant et detonant nitri ad instar.

NITRUM. *Nitro.* Sal neuter perfectus.

Kali nitratum s. *Alkali vegetabile nitratum* Bergmann sciagraph.

Locus. Invenitur nativum mixtum cum terra argillacea in India orientali, China, Hispania et Brasilia: in cavitatibus rupium Sibiriae: in superficie frustorum cretae ad Rocheguyon, nonnunquam in muris limosis.

Forma. Nitrum est sal neuter perfectus, ex acido nitrico et alcali fixo vegetabili compositus, crystallis aut prismatibus elongatis hexaedris, longitudinaliter sulcatis et in pyramides abeuntibus aut transversim sectis, colore albo, diaphano.

Propriet. Nullum habet odorem, saporem salsum, refrigerantem. Aeri expositum haud mutatur. Funditur ad ignem, priusquam accendatur, diu hanc formam servans acidum exhalat nitri, superstite in vasis fundo alcali fixo vegetabili. Prunis impositum aut ferro candenti flamma alba clara, scintillisque et strepitu deflagrat. In aqua frigida sine negotio, facilius etiamnum in fervida solvitur. Illius tres partes solvunt unam nitri, hujus dupla portio sufficit.

NUX MOSCHATA. *Noz moschada.* Nucleus.

Myristica aromatica Swartz.
Myristica moschata Thunb.

Locus. Habitat in Moluccis et Brasilia. Arbor.

Forma. Nux moschata est nucleus fusco-cinereus, subrotundus, pruni minoris mole, utrinque obtusus, longitudinaliter sulcatus, transversim reticulatus. Parenchyma, dum recens est, carneum est adeoque oleosum, ut acu punctum oleum emittat. Siccum subdurum est facileque cultro scinditur, intus flavum est, venis fuscis. Nucleus cingitur cortice duro, fragili, dimidiam lineam crasso, tecto iterum pellicula (arillo) pulposa, oleosa, glabra, dum recens est, sanguinea; dum siccescit, aurantiaca, vocata *Macis*, seu *flos nucis moschatae.*

Propriet. Odor nucis est fragrans, gratus: Macis

fortior. Sapor est aromaticus, unctuosus, acris, sapori congruus; Macis magis aromaticus, subamarus.

OLEUM COMMUNE. *Oleo commun.* s. *Azeite.* Oleum fixum vegetabile.

Olea europaea L.

Locus. Habitat in Europa australi: colitur in Lusitania. Floret Maio. Arbor.

Forma. Oleum commune est oleum fixum, ex olivis expressum, liquidum, pellucidum, pallidum aut flavicans.

Propriet. Bonum oleum odore caret et sapore. Congelascit decem gradibus sub puncto congelationis scalae Reaumurianae. Praeterea gaudet omnibus qualitatibus oleorum fixorum vegetabilium.

OPIUM. *Opio.* Extractum gummoso-resinosum.

Forma. Opium est extractum gummoso-resinosum, e Papavere somnifero extractum. Advehitur vel lacrimis pallide-flavidis, qua forma rarissimum est maximique pretii; vel frustis subrotundis, planiusculis, ponderosis, extus rufo-nigricantibus, subnitidis, quae foliis siccis obteguntur: intus fractum viridescit aut nigrescit, id quod opium appellatur aut meconium thebaicum. Prius, quod optimum est carique pretii, rarissime obvium est. E posteriori eligendum est uniforme, glabrum, quod digitis contrectatum in massas coeat iisque adhaereat, intus purum sit, sapore satis amaro, acri, quod calefactum nequaquam oleat, flammae admotum ardeat, quod in aqua fere omnino solvatur, solutione rubicunda.

Propriet. Odor est foetidus, fortis, ingratus, virosus. Sapor protinus nauseosus, amarus, dein acris. Flammae admotum vivida luce ardet. Digestum et maceratum in aqua, aceto vini, succo limoniorum, vino, spiritu vini solvitur: semper tamen aliquid haud soluti in fundo vasis superest.

OPOPANAX. *Opopanaco.* Gummi-resina.

Pastinaca Opopanax L.

Locus. Habitat in Italia, Sicilia, Alexandria et Aegypto. Perennis.

Forma. Opopanax est gummi-resina solida, fragilis, in lacrimis subrotundis, aut frustis variae formae et molis, flavido-rubicundis extus aut aureis, maculis albis aut pallidis, vel intus subfuscis, albo-maculatis.

Propriet. Odor fragrans, subingratus: sapor acris, amarus. Manducata substantia in frusta dentibus vertitur, dein in saliva soluta eam lacteo tingit colore. Flammae admota accenditur, fumumque emittit similem ei, quem gummi ammoniacum spirat. Cum aqua trita pars solvitur, eamque lacteam reddit: sed resinosa pars secedit, dum subsidere sinimus. Haec spiritu vini solvitur. Opopanax nec in oleis fixis, nec in destillatis aut essentialibus solvitur, vix ea tingens colore viridi-flavido.

ORIGANUM VULGARE. *Ouregão.* Herba.

Origanum vulgare L.

Locus. Habitat in montibus Europae, Canadae, Virginiae. Floret Iulio et Augusto. Perennis.

Forma. Caulis est quadratus, ruber, pubescens,

ramosus, ramis oppositis, tenerioribus caule, altioribus, longioribus. Folia nascuntur e nodis caulis, opposita sunt, ovata, petiolata, dimidium pollicem longa, supra glabra, subtus pubescentia, utrinque punctata, margineque ciliata. Flores sunt dispositi in spicis subrotundis, hae vero in paniculis approximatis, bracteis ovatis acutiusculis, cuneatis, calycem aequantibus.

Propriet.. Odor fragrans, fortis, gratus. Sapor acris, aromaticus.

OVUM. *Ovo.* Ovum gallinaceum.

PAPAVER ALBUM. *Dormideiras.* Capita. Opium.

Papaver somniferum L.

Locus. In locis rupestribus Europae australis et campis Asiae fervidioris, quae vera ipsius patria esse videtur. Colitur in Lusitania. Floret Iunio et Iulio. Annua.

Forma. Capita aut fructus sunt capsulae globosae, glabrae, operculo radiato coronatae, sub quo decem foramina in circulum disposita sunt, quae in cavitatem conducunt, ope laminularum in decem loculos partitam, plenos seminibus innumeris, satis exiguis, subglobosis, albissimis, aut nigrescentibus seu coerulescentibus. Capita recentia incisa stillant opium. Videatur ea vox.

Propriet. Odor foetidus, maxime cum viridia sunt et fricantur. Sapor subamarus, acris. Succum largiuntur lacteum amarum, nauseosum.

PAREIRA BRAVA. *Abutua.* Radix.

Cissampelos Pareira L.

Locus. Habitat in Brasilia et Africa. Perennis.

Forma. Radix sicca est grandis, plus minusve crassa, cylindrica, subtorta, rugosa, nigricans aut cinerea extus, parenchymate lignoso, flavo. Ad axim secta, fibris constat longitudinalibus, planis, crassiusculis, parallelis, approximatis: transversim secta, formata esse videtur circulis seu annulis concentricis, remotiusculis, quae fibras radiatas habent.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarus. Manducata salivam flavo colore tingit.

PASSULAE MAIORES ET MINORES. *Uvas passadas.* Fructus sicci.

Vitis vinifera L.

Locus. Habitat in omnibus quatuor orbis terrarum partibus, climate temperato. Floret Maio. Frutex.

Forma. Passulae sunt baccae uvarum, seu baccae maturae siccae, ovatae, aliae longiusculae, aliae globosae, rugosae, subdiaphanae, fuscae aut nigrescentes, quae intra pelliculam teneram continent pulpam melleam, ac plerumque binos acinos.

Propriet. Odor nullus. Sapor dulcis, gratus.

PETROLEUM. *Petroleo.* Bitumen liquidum.

Bitumen Petroleum L.

Locus. Invenitur intra rupes ac natans in fontibus quibusdam Persiae, Italiae et Galliae.

Forma. Bitumen est liquidum, diaphanum, aquae ad instar limpidum: tunc vocatur *Naphtha* s. *Petro-*

leum album. Flavicans subrufescens appellatur *Petroleum rubrum*, quod est minus liquidum ac diaphanum, quam prius: aut denique est nigrum, spissum, minus liquidum antecedentibus, vocatum *Petroleum nigrum*. Eligendum est primum: quod si deest, secundum.

Propriet. Odor est fortis, penetrans, haud ingratus: sapor acris, amarus, nauseosus. In aqua pariter ac in spiritu vini haud solvitur, sed utrique innatat. Iniecta aquae gutta Naphthae, funditur in superficie, velut oleum. In vitello ovi et felle solvitur. Flagrantiae adeo capax est, ut accendatur, protinus ut candens substantia proxima est, sine contactu. Id optime in Naphtha contingit.

PICHURIM. *Pechurim*. Nucleus.

Laurus?

Locus. Habitat in Paraguay et ad flumen Maranhon. Arbor.

Forma. Pichurim est nucleus ovali-oblongus, pollicaris et maior: ponderosus, utrinque obtusus, hinc convexus, illinc concavo planus, sulco longitudinali; extus fusco olivaceus, subrugosus, intus carneo-flavicans, sparsus punctis luteis. Alia varietas Pichurim venalis est, duplo maior priore, rugosa, extus pallidior, intus magis obscura; dura, amara, minus aromatica.

Propriet. Odor est fragrans, Sassafras et Nucis moschatae aemulus. Sapor aromaticus, cum odore congruus. Manducatus nucleus videtur in ore solvi.

PIPER NIGRUM. *Pimenta negra.* Semina,

Piper nigrum L.

Locus. Habitat in India orientali et Brasilia. Frutex.

Forma. Piperis semina sunt vix matura, globulosa, pisorum minorum mole, rugosa, nigricantia, parenchymate albo.

Propriet. Odor est aromaticus. Sapor acris, ardens, vellicans, persistens.

PIX BURGUNDICA. *Pez de Borgonha.* Resina.

Pinus Abies et *Larix* L.

Locus. Habitat in Europa et America septentrionali. Arbor.

Forma Pix burgundica est resina solida, frustis grandioribus, siccis, opacis, fragilibus, qua franguntur, planiusculis: colore flavido-fusco aut cinereo, extus fusco, sublucidis. Quomodo paretur aut unde nascatur, exploratum nondum habent auctores. Alii enim contendunt, esse mixtam resinam quamdam solidam albamque, quae e trunco abietis inciso aut forato stillet, cum terebinthina et oleo: alii dicunt, resinam eam fusam et per pannum colatam sordes largiri: alii terebinthinam esse vulgarem fervidam spissescentem: alii demum esse Pinus Laricis resinam, etc.

Propriet. Odor fragrans, balsamicus: sapor subamarus, aromaticus. Flammae admota funditur, accenditur et conflagrat flamma clara, fumoque, superstite carbone levi, atro, parum inquinante.

PLUMBUM. *Chumbo.* Metallum imperfectum.

Locus. Invenitur in penetralibus terrae, forma triplici: nimirum: 1. ope sulfuris in mineram reductum ac cum aliis metallis mixtum; 2. acidis phosphori, vitrioli, aeris aut mephitico et arsenicali nuptum; 3. calcis forma; 4. nativum purum aut virgineum, iuxta nonnullos minerarum scrutatores, quod alii negant.

Forma. Metallum virgineum est opacum, molle, flexile, vix ac ne vix quidem sonorum nec elasticum. Digitos inquinat. Colore gaudet cinereo subcoerulescente, maxime cum recens frangitur.

Propriet. Odor est peculiaris, si raditur: sapor nullus. Pes cubicus plumbi fusus pondere aequat 794 libras cum decem unciis, drachmis quatuor, granisque quadraginta quatuor. Gravitas specifica se habet ad aquae gravitatem, ut 1,15:523 ad 10,000. *Brisson.* Malleo pulsatum aut intra duos cylindros panditur in laminas satis teneras. Aeri expositum mutatur, splendida superficies sensim colore cinereo obducitur, post pelliculam obtinet albam, terream, sicut ferrum, rubiginem. Igni impositum funditur ea facilitate, adeoque miti calore, ut manum possis immittere, dum funditur, sine aestus sensu. Aeris contactus, eo statu, contegit plumbum pulvere cinereo, qui, continuata ignis vi, in flavicantem vertitur, dein ruberrimum, dictum *Minium.* Haec calx flava igni fortissimo exposita funditur, abitque in squamas lucidas, flavas, semi-vitreas, quae vocantur *Lithargyrum.* Id maiori caloris gradu fusum mutatur in vitrum flavicans,

pellucidum. Tubuli fusorii ope illico funditur, splendet, fervet, fumat, in prunae superficie format circulum flavidum: *fluxum* tingit flavo colore: cum plumbi plus additur, fit is albidus, plus minusve opacus. In aqua vix ac ne vix quidem mutatur, nisi ea sales habeat. Facilius aut difficilius in omnibus acidis solvitur: solutiones omnes gaudent sapore styptico dulci. Foliis aut laminis teneris pansum, vaporibusque aceti vini expositum vertitur in calcem albam, squamosam, quae *Cerussa* dicitur.

PRUNUM. *Ameixas*. Fructus.

Prunus domestica L.

Locus. Habitat in Europa australi. Arbor hortensis, vulgaris.

Forma. Fructus recens est ovatus aut subrotundus, variae molis variique coloris: qui intra cuticulam nitidam continet parenchyma carnosum, molle, succulentum, venis mixtis, nucemque asperam, mox oblongo-planam, mox ovatam, margine altero subacuto, altero crasso, sulcato. Inest nucleus amaricans.

Propriet. Sapor dulcis, acidiusculo-dulcis.

PULEGIUM. *Pojeos*. Herba.

Mentha Pulegium L.

Locus. Habitat ad ripas fluviorum, in locis humidis Lusitaniae, Hispaniae, Galliae, Angliae etc. Floret Iulio et Augusto. Perenne.

Forma. Caules teretiusculi, decumbentes, subnodosi, pubescentes, ramosi, ramis alternatim oppositis. Folia ovata, obtusa, obsolete denticulata.

Propriet. Odor fragrans, fortis. Sapor aromaticus,

vellicans, dum manducaveris folia, subcamforaceus. Quae quidem qualitates in sicca iuxta ac in recenti planta observantur.

PYRETHRUM. *Pyretro.* Radix.

Anthemis Pyrethrum L.

Locus. Habitat in Arabia, Syria, Bohemia, circa Monspelium etc. Perennis.

Forma. Radix est elongata, teres, recta, vix tortuosa, pennae anserinae crassitie, extus longitudinaliter rugosa, fusco-cinerea, fibris capillaribus cincta, parenchymate, dum recens est, albo, subcarnoso, dum sicca est, duro, fragili.

Propriet. Nullus odor. Sapor peculiaris, protinus acidus videtur, dein satis acris, ardens, persistens. Is sensus magis in apice linguae ac in labiis percipitur, magna salivae copia attracta.

QUASSIA. *Quassia.* Radix. Lignum cum cortice.

Quassia amara L.

Locus. Habitat in Surinamo, Antillis, S. Crucis insula. Arbor.

Forma. Radix, quae advehitur, est lignosa, brachii mole, continet medullam intime iunctam materie, obtecta cortice tenero, aspero, inaequali, subinde fisso, albido subflavido. Lignum albidum, solidum, durum, rigidum, in frustis variae molis, teretibus, aliis bracchii mole, aliis digiti, aliis pennae, tectis cortice tenero, aspero, ruguloso, facile secedente, fragili, albido aut pallido, interdum nigro-maculato.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarissimus, nullo alio admixto.

QUERCUS. *Carvalho.* Cortex.

Quercus Robur L.

Locus. Habitat per omnem Europam. Arbor vulgaris.

Forma. Cortex est crassus, sublignosus, colore cinereo, extus longitudinaliter fisso.

Propriet. Odor nullus. Sapor satis stypticus, subamarus.

RAPHANUS RUSTICANUS. *Rabaö rustico.* Radix recens.

Cochlearia Armoracia L.

Locus. Habitat in locis humidis, ad ripas fluviorum Lusitaniae et Europae australis, colitur in hortis. Floret a Iulio ad Septembrem. Perennis.

Forma. Radix pollicem et quod excurrit crassa, elongata, carnosa, alba, glabra, rugis transversalibus, subannulatis, remotiusculis: stipata saepe a latere nodulis subrotundis remotis, e quibus radiculae prodeunt fibrosae. Parenchyma album, carnosum, firmum; transversim sectum, margine monstrat annulum tenerum, cuius centrum aut medulla plena est punctis sparsis splendentibus.

Propriet. Odor penetrans. Sapor acris, vellicans, subamarus, dulcis. Manducata linguam faucesque vellicat et calefacit, tussim ciet, nares irritat, lacrimas provocat: quae sequelae ut promte nascuntur, ita cito evanescunt.

RHABARBARUM. *Ruibarbo*. Radix.

Rheum palmatum et *undulatum* L.

Locus. Habitat in China, Turcarum regno (sic!) et colitur in Russia. Perennis.

Forma. Obviae sunt duae species peculiares huius radicis: nimirum: *Rheum chinense* aut *turcicum* et *Rheum sibiricum*. Prioris extant varietates, cum vel magis ponderosa sit radix, vel levior, flavidior, vel rubicundior aut ad fuscum vergens. Vulgatior *chinensis* venit in frustis longiusculis aut rotundatis, glabris, hinc planis illinc convexis, nonnunquam forma unguis equinae, palmum fere latis, ponderosis: parenchymate solido, minus fragili, rubro-variegato, in roseum aut flavum albumve colorem vergente. *Sibiricum* est magis spongiosum, fragile, minoris ponderis, pallidum aut albido-flavicans, eadem forma exteriore ac chinense: utriusque frustis foratis, cum fila ad siccandum traiiciantur. Eligenda sunt frusta, quorum color flavidus magis in rubrum vergit, quorum caro variegata roseo colori propinqua est, quaeque pondere excellunt.

Propriet. Odor peculiaris, blande aromaticus, nauseosus. Sapor subamarus, austerus, aut stypticus. Species, quae optima ducitur, manducata in ore solvitur, tingitque colore croceo linguam, totum os, fauces et salivam: minus bona haud ita solvitur. Quo melior etiam est, eo minus tingit infusum aquosum, eoque minus extracti gummosi largitur.

RICINUS VULGARIS. *Mamona*, Semina.

Ricinus communis L.

Locus. Habitat in India et Brasilia: colitur in Lusitania. Floret a Maio ad finem aestatis et ipso autumno. Annua.

Forma. Semina sunt ovata, utroque latere plana, putamine fragili, splendido, variegato aut fusco, viridiuscule et flavide maculato, nucleo albissimo, centro vacuo, pellicula cincto satis tenera, eiusdem coloris.

Propriet. Odor nullus. Sapor satis dulcis et acris. Manducatorum medulla videtur in saliva solvi amygdalarum more, sed postea acrimonia in faucibus percipitur diuque moratur.

ROSA PALLIDA s. DAMASCENA. *Rosas pallidas.* Petala.

Rosa centifolia et *damascena* L.

Locus. Habitat per omnem Europam: colitur in hortis. Floret a Maio ad Augustum. Frutex.

Forma. Flores sunt pleni, terminales, pedunculati: petala ovata, obtusa, colore pallide rubro.

Propriet. Odor fragrans, gratus. Sapor substypticus.

ROSA RUBRA. *Rosas vermelhas.* Petala.

Rosa gallica L.

Locus. Habitat in Europa. Floret a medio Maio ad Augustum. Frutex.

Forma. Flores etiam terminales, pedunculati, haud adeo pleni ac priores: petala sessilia, cordata,

apice reflexo, lata, nervosa basi, colore incarnato in rubrum vergente.

Propriet. Odor fragrans, gratus: sapor stypticus, subamarus. Siccata omnino incarnata sunt.

ROSMARINUS. *Alecrim.* Folia. Flores.

Rosmarinus officinalis L.

Locus. Habitat in terris arenosis Galliae, Italiae, Hispaniae, Lusitaniae. Colitur in hortis. Floret Martio. Frutex vulgaris.

Forma. Folia sunt linearia, obtusa, rugulosa, supra viridia, subtus albida. Flores sunt monopetali irregulares, bilabiati, coerulei, calyce pariter bilabiato.

Propriet. Odor fragrans, gratus. Sapor similis, aromaticus, vellicans.

RUBIA TINCTORUM. *Ruiva.* Radix.

Rubia tinctorum L.

Locus. Habitat in convallibus inter vineas et nemora Lusitaniae, Hispaniae, Galliae etc. Perennis.

Forma. Radix elongata, teres, ramosa, calami scriptorii crassitie, nodis nonnullis distantibus, extus pallide rubra, saepiusque fusca. Parenchyma sanguineum; medulla vetustarum radicum nigrescit.

Propriet. Odor nullus. Sapor subamarus, leviter stypticus, ingratus. Manducata salivam rubro tingit colore.

RUTA. *Arruda.* Folia.

Ruta graveolens L.

Locus. Habitat in Hispania, Lusitania. Floret Iunio. Perennis, vulgaris.

Forma. Folia sunt bipinnata, pinnulis oppositis, laciniis elongatis, horizontalibus, lanceolatis, glabris, subtus punctatis, leviter serratis, lacinia extima maiore, cuneata.

Propriet. Odor fortis, subfoetidus, sed haud ingratus. Sapor amarus.

SABINA. *Sabina.* Folia.

Iuniperus Sabina L.

Locus. Habitat in montibus Galliae, Helvetiae, Hispaniae et Lusitaniae. Frutex.

Forma. E ramis sparsis, teretibus, fuscis, ramosis, squamis marcidis, ramusculi nascuntur foliis linearibus, rigidis, angustis, persistentibus, acutis, oppositis, sessilibus, subimbricatis obtecti.

Propriet. Odor foetidus, fortis. Sapor amarus, acris, fortis.

SACCHARUM. *Assucar.* Sal essentialis.

Saccharum officinarum L.

Locus. Habitat in locis inundatis utriusque Indiae. Colitur in locis fertilibus Brasiliae. Perenne.

Forma. *Saccharum depuratum* est albissimum, solidum, durum, fragile, particulis aut granis crystallinis, lucidis, subdiaphanis compositum. *Saccharum candum* crystallis albis aut flavicantibus constat, quarum prismata aut columnae sunt tetraedrae, terminatae pyramidibus diedris, subobtusis, cuneatis. Utraque sacchari species (quibus utimur, praecipue puro) e saccharo crudo, quod vulgò notum est, ope purificationis et crystallisationis secedit: istud (crudum) est extractum plantae dictae, potest au-

tem extrahi e multis aliis plantis fructibusque, e melle demum apum.

Propriet. Odor nullus. Sapor dulcissimus, gratissimus. Adeo facile citoque solvitur in aqua, ut uncia frigidae aequalem copiam sacchari solvat. Ea solutio, caloris ope et addita maiore aquae copia, fermentat, largiturque et vinum et spiritum vini et acetum. In spiritu vini pariter solvitur, praecipue caloris adminiculo: miscetur oleis essentialibus, eaque reddit in aqua solubilia; impedit lactis coagulum. Funditur ad ignem, accenditur prunis iniectum, turget, spumat et ardet flamma coerulea, spargit fumum odoris peculiaris, grati, superstite carbone.

SAGAPENUM. *Sagapeno.* Gummi-resina. Ignotum genus plantae, quae largiatur.

Locus. Habitat in Persia aut Alexandria: inde saltem provenit.

Forma. Gummi-resina solida, in frustis aut lacrimis solutis, cerasorum mole, aut maioribus, rubro colore, subdiaphanis et lucidis, homogeneis, cerae ad instar mollibus. Ea forma Sagapeni, quae in lacrimis est, praestat vulgari, sed raro occurrit. Vulgare in massis grandioribus obvium est, quae frustis variis constant, aliis albidis, aliis rubris, aliis viridibus, festucis lignorum et seminibus immixtis: mox durum est et fragile, mox molle ut cera.

Propriet. Odorem habet gummi ammoniaci et asae foetidae intermedium, saporem subamarum, acrem, persistentem. Manducatum dentibus adhaeret, mollitur, albescit, tandem in saliva solvitur. Igni admotum facile accenditur, conflagrat flamma et fumo

et fuligine, superstite carbone nigro. Resinae plus habet quam gummi.

SAGO. *Sago*. Gummi aut amylum.

Sagus s. Palma farinaria Rumph. amboin.

Locus. Habitat in locis humidis et paludosis insularum Moluccarum et in Malacca. Arbor.

Forma. Sago exhibet grana subglobosa, aut subangulata, inaequalia, glabra, albida, extus lurida, medulla candida. Fiunt e medulla Palmae dictae, fere eodem modo, quo amylum e tuberibus Batatas.

Propriet. Nullum habet odorem, nullum saporem. Dentibus manducatum adhaeret, nec in saliva solvitur. Parum in aqua frigida mollescit nec solvitur: fervida mollit, turgere facit et constituit gelatinam, licet grana formam servent. Frigescente aqua, gelatina nascitur insipida, mollis: igne iterum imposita magis spissescit, nec funditur. Nec oleis nec spiritu vini solvitur. Per plures annos haud mutata persistunt grana, loco sicco servata: contrarium accidit loco humido.

SAL AMMONIACUS. *Sal ammoniaco*. Sal neuter perfectus.

Alkali volatile muriaticum Bergm.

Locus. Nativus invenitur in cavernis montium ignivomorum, in cavitatibus pumicum, in terrae superficie aut rupibus adhaeret, petrae seu pulveris forma, in Persia etc.

Forma. Sal ammoniacus communis est sal neuter perfectus, e connubio acidi marini cum alcali volatili nascens, qui advehitur massis subrotundis,

ab altera parte convexis, ab altera concavis, fundo crassioribus, subdiaphanis, dum purus est. Componuntur filis longiusculis, flexilibus ut fila metallica ad certum usque gradum, priusquam rumpant, prismatibusque tetraedris, quae in pyramides abeunt pariter tetraedras.

Propriet. Sapor acris, vellicans et nauseosus. Solvitur in quintupla aut sextupla portione aquae frigidae, cum qua ingens frigus producit, ac fere in aequali copia aquae fervidae. Cristalli, lenta evaporatione natae pyramides sistunt decaedras longiusculas, aut prismata octaedra. Aeri expositus haud mutatur: ad ignem aut tubulum fusorium avolat et sublimatur. Calce admixta in particulas secedit, etiam alcalibus fixis.

SAL CATHARTICUS AMARUS. *Sal cathartico amargo.* Sal neuter terreus.

Natrum fontanum L.

Magnesia vitriolata Bergm.

Locus. Nativus invenitur in fontibus pluribus, ut Egerano, Sedlizensi etc., neque minus in terra.

Forma. Sal catharticus amarus est sal neuter, e connubio acidi vitriolici cum magnesia natus. Occurrit crystallis exiguis, pellucidis, acuum specie, aut prismatibus tetraedris, quae in pyramides abeunt diedras.

Propriet. Sapor est frigidus, salitus, amarissimus. Solvitur in bis tanto aquae frigidae et in dimidia parte aquae calidae. Crystalli per lentam evaporationem natae prismata formosa constituunt pellucida tetraedra, pyramidibus pariter tetraedris terminata. Ad

aerem siccum vertitur in farinam albam, ad ignem funditur, post refrigescens coit in massam informem, denique albam fragilemque, post amissam omnem aquam crystallis idoneam. Ope alcalium fixi volatilisque ac aquae calcis secedit in elementa.

SAL COMMUNIS. *Sal commum.* Sal neuter perfectus.

Muria marina L.

Alkali minerale muriaticum Bergm.

Locus. Invenitur in mari, lacubus salsis, in fontibus quibusdam, pariter et magnis massis in terrae penetralibus variarum regionum, Poloniae, Hungariae, Angliae, Brasiliae, Angolae etc.

Forma. Sal communis est sal neuter perfectus, ex acido marino et alcali minerali compositus, crystallis obvius cubicis, variae molis, candidis, pellucidis. Quodsi in intestinis terrae occurrit aut in montibus, *sal gemmae* dictus, est vel in frustis maioribus, satis duris, glaciem referentibus, aut crystallos exhibet cubicas, grandes, claras et pellucidas.

Propriet. Sapor est salsus, sed gratus. Ad aerem attrahit humorem, in humido liquescit, praecipue si is sal aliquid salis marini terrei continet. Solvitur in tribus partibus cum dimidia aquae frigidae, haud tantum poscit fervidae. Ad ignem crepitat, funditur cum candet, denique avolat sine particularum secessu, neque amittit quidquam, praeter aquam crystallis idoneam. Acidorum vitriolici et nitrosi ope ac alcali vegetabilis caustici secedunt particulae.

SALEB. *Saleb.* Radix.

Orchis bifolia, coriophora, latifolia, mascula, militaris, Morio, palmata L.

Locus. Habitat in nemoribus pratisque variarum Europae partium, nimirum Lusitaniae, Hispaniae, Galliae, ipsiusque Asiae. Floret a Martio ad Maium. Perennis.

Forma. Radix est bulbosa, mox ovata, mox cordata, palmata, alba, parenchymate pariter albo, subspongioso: sicca extus est cinerea, subrugosa, parenchymate duro, corneo. Radix Saleb, ex Oriente advecta, maior est nostrate, nam pollicem longitudine aequat aut superat, ovata est aut cordata, ovato-oblonga, palmata, glabra, foveolis plena, subpellucida, dura, parenchymate uniformi, viridiusculo, cornu duritie aequans.

Propriet. Nullum babet odorem, nisi recens sit, ubi hircum redolet: sapor est insipidus. Manducatum in saliva muci speciem adipiscitur. In aqua frigida fundum petit, turget, glutinosum fit, neque cum aqua miscetur: attamen drachma una pulveris octo uncias aquae, caloris adminiculo, in gelatinam convertit. Nec in oleis, nec in alcohole solvitur.

N. Perinde est, cuiusnam Orchidis radix sumatur, licet optima habeatur, quae e bulbis Orchis Morionis petitur. Interest tamen et tempus et modus colligendarum radicum et ratio eas praeparandi. Quod tempus attinet, legendae sunt, postquam semina duruerint et cum pedunculus florum marcuerit et siccuerit. Bulbilli anni praeteriti reiiciendi sunt, iis duntaxat electis, qui solidi sunt, fragiles, vigore

conspicui, quique in aquam proiecti fundum petunt. Tunc pellicula, quae obtegit, detrahitur, aut raditur strigilis ope, postquam diu in aqua frigida morati fuerint: facilius id fit, immissis in aquam calidam et dein fricatis ope panni asperi. Pellicula detracta, collocantur in fornace mediocriter calida, ut sensim siccescant corneamque obtineant indolem.

SALVIA. *Salva.* Folia.

Salvia officinalis L.

Locus. Habitat in locis cultis et argillosis Lusitaniae, Hispaniae. Colitur in hortis. Floret Aprili ad Iunium usque. Perennis.

Forma. Folia sunt opposita, petiolata, ovato-lanceolata, obtusa, subpubescentia, supra rugosa, subtus foveolis plena, quae retis speciem prae se ferunt, margine crenato. Superiora petiolis gaudent brevibus, aut sessilia sunt.

Propriet. Odor fragrans, fortis. Sapor aromaticus, subamarus.

SAMBUCUS. *Sabugueiro.* Flores, baccae.

Sambucus nigra L.

Locus. Habitat in omnibus terrae speciebus Lusitaniae totiusque Europae. Floret Aprili ad Iunium usque. Frutex.

Forma. Flores sunt albi, in cyma dispositi convexoplana, quinquepartita. Corolla est monopetala, rotata, laciniis quinque revolutis: calyx albus, quinquedentatus. Baccae mole pisi pusilli, ovales, subglobosae, nigrae, lucidae, umbilico stellato, parenchymate succulento, quod tria semina continet.

Propriet. Odor florum est fragrans, subfoetidus, nauseosus: baccarum nullus. Sapor florum amaricans, odorem aemulans; baccarum acriusculo-dulcis. Manducatae salivam rubro colore tingunt.

SANTONICUM, CINA. *Alexandria.* Semina.

Artemisia Contra et *iudaica* L.

Locus. Habitat in imperio Mogolis, Persia etc. Frutex.

Forma. Semina sunt oblonga, exigua, glabra, plus minusve flavida, aut viridiuscula, festucis et paleis ipsius plantae mixta. Eligenda sunt recentia, pura, bene nutrita, odore forti et sapore amaro.

Propriet. Odor est fragrans, fortis, subnauseosus. Sapor cum odore congruus, aromaticus, amaricans.

SAPONARIA. *Saponaria.* Radix, herba.

Saponaria officinalis L.

Locus. Habitat ad fluvios, in convallibus, nemoribus, locis humidis et arenosis Lusitaniae, Hispaniae etc. Floret per totam aestatem. Perennis.

Forma. Radix est elongata, teres, pennae aut digiti minimi crassitie, nodosa, superne ramosa, radiculis capillaribus munita, cortice crassiusculo, separatu facili, subrubro. Parenchyma album, firmum, fibrosum, medulla teres, annulo albido cincta. Caulis pedalis aut bipedalis, simplex, sed superne ramosus, ramis oppositis, nodosus, internodiis inferioribus compressis, superioribus teretiusculo-quadrangulis. Folia e nodis petiolis brevibus prodeuntia, ovato-lanceolata sunt, acuta, glabra, trinervia, venis sublineata, margine scabra.

Propriet. Odor nullus. Sapor radicis dulcis amaricans, mucosus, herbae subamarus.

SARSAPARILA. *Salsa-Parrilha.* Radix.

Smilax Sarsaparila L.

Locus. Habitat in Peru, Mexico et Brasilia. Perennis.

Forma. E tubere pollicari nascuntur radices fibrosae, elongatae, calami scriptorii crassitie, longitudinaliter sulcatae, flexiles, cuticula tenera rubrocinerea aut fusca: intus albae, farinosae, siccae, sublignosae, medulla subfarinosa, alba, compacta.

Propriet. Odor nullus. Sapor amaricans. Sicca manducata abit in substantiam farinosam submucosam, parte lignosa superstite.

SASSAFRAS. *Sassafraz.* Lignum, cortex.

Laurus Sassafras L.

Locus. Habitat in Brasilia: colitur in hortis Europae et regionibus calidioribus Americae borealis. Arbor.

Forma. Lignum est leve, parum durum, fragile, colore cinereo subferrugineo aut flavo: cortice extus rugoso, fusco-rubro aut cinereo-fusco; intus ferrugineum est lignum, glabrum, fragile ac in strata tenera secedens.

Propriet. Odor fragrans, fortis, gratus, foeniculi aemulus. Sapor aromaticus, subvellicans, dulcis. Corticis odor saporque ligni similes, sed fortiores.

SCAMMONIUM. *Escamonea.* Gummi-resina.

Convolvulus Scammonia L.

Locus. Habitat in Syria, Oriente, Brasilia. Perennis.

Forma. Gummi-resina in frustis levibus, cinereis aut fuscis, fragilibus, qua franguntur, lucidis. Eligenda est levis, gummi ad instar clara, colore albido, tenera, ut frangatur facileque vertatur in pulverem, quae fracta in aqua aut saliva solvatur, lacteo colore.

Propriet. Odor est subfoetidus, nauseosus. Sapor protinus insipidus, mox acriusculus, amarus, nauseosus. Manducata solvitur difficulter in ore, mollitur dentibusque adhaeret. Digito humecto fricata, mox lactea viridiuscula fit: is color in aquam transit, in qua solvitur. Pars resinosa, quae in spiritu vini solvitur, tincturam exhibet pellucidam.

SCILLA. *Cebola Albarrã.* Radix.

Scilla maritima L.

Locus. Habitat in locis arenosis sabulosis Hispaniae et Lusitaniae. Floret Augusto et Septembri. Perennis.

Forma. Radix est bulbosa, pyriformis, pugni et quod excedit mole, squamis carnosis, latis, lateribus attenuatis, succo glutinoso plenis, albidis composita: obteguntur cuticula sicca, tenera, nervosa, exterioribus tenerioribus, interioribus basi succulentis. E basi bulbi prodeunt radiculae innumerae, quae veram sistunt radicem.

Propriet. Odor subnullus. Sapor satis amarus,

acris, nauseosus, persistens. In sicca servatur amaritudo, evanida acrimonia.

SCORDIUM. *Escordio.* Herba.

Teucrium Scordium L.

Locus. Habitat in terris et pratis depressis Lusitaniae. Floret a Maio ad Augustum. Perennis.

Forma. Caulis suberectus, angulatus, pubescens aut villosus, satis ramosus; ramis alternatim oppositis, elongatis, simplicibus, longitudine et forma caulis. Folia sunt sessilia, ovali-oblonga, dentata, mollia, villosa aut pubescentia, glauco-viridia.

Propriet. Odor fortis, alliaceus, sed gratior: sapor amarus, persistens.

SENEGA. *Senega.* Radix.

Polygala Senega L.

Locus. Habitat in Virginia et Pensylvania. Perennis.

Forma. Radix est lignosa, dura, fragilis, ramosa, digiti crassitie, tortuosa, nodosa, e tubere informi prodiens, costata, intus alba, cortice crasso, flavo, cuticula cinerea, annulato-rugulosa.

Propriet. Odor peculiaris, subaromaticus. Sapor initio subvellicans, dein aciduli aliquid et acris in faucibus sentitur, quod persistit cum sensu siccitatis.

SENNA. *Senne de Alexandria, ou de Palta.* Foliola.

Cassia lanceolata Forsk.

Locus. Habitat in Aegypto, Arabia circa Mocham. Frutex.

Forma. Foliola sunt ovali-lanceolata, acuta, integerrima, pallida, venis nervisque alternantibus. Cum sicca sunt, eligantur recentia, integra, molis mediocris, pura, sine festucis, tactu mollia, colore viridi in flavum vergente: odore satis forti, sapore submucoso, ingrato.

Propriet. Odor subaromaticus, nauseosus. Sapor subamarus, nauseosus, mucosus.

SENNA ITALICA. *Senne de Italia.* Foliola.

Cassia Senna β. L.

Locus. Habitat in Italia, Gallia et Hispania, ubi colitur. Frutex.

Forma. Foliola sunt ovalia, obtusa aut elliptica, pallide viridia, lateribus inaequalia, venosa.

Propriet. Odor prioris, sed debilior. Sapor etiam amarus, nauseosus, mucosus aut viscosus, cum manducantur.

SERPENTARIA VIRGINIANA. *Serpentaria virginiana.* Radix.

Asistolochia Serpentaria L.

Locus. Habitat in Virginia et Carolina. Perennis.

Forma. Radix est composita radiculis multis fibrosis, fragilibus, tortuosis, intricatis, quae aliis, capillorum crisporum forma cinguntur, extus fuscis aut ferrugineis, intus pallidis aut flavido-albis.

Propriet. Odor fragrans, fortis, camforam aemulans. Sapor acris, aromaticus, subamarus, vellicans, persistens.

SEVUM. *Sebo.* Oleum fixum animale coagulatum.

Sevum ovillum s. bovinum.

Locus. Invenitur in ambitu intestinorum et sub pelle boum, vervecum etc.

Forma. Sevum est oleum fixum, aut adeps coagulatus, colore albo aut flavicante, molle, cuticulis teneris inclusum, quae telam cellularum animalium eorum constituit, ut supra innuimus.

Propriet. Nullum habet odorem, saporem unctuosum, insipidum. (Quod ad chemicas attinet qualitates, generatim eaedem sunt, quae obtinent in adipe simili: de quibus videantur *Elementa Chemiae.*)

SIMARUBA. *Simaruba.* Cortex.

Quassia Simaruba L.

Locus. Habitat in Guiana et aliis Americae regionibus. Arbor.

Forma. Cortex est coriaceus, flexilis, fibrosus, lineam crassus, extus cinereo-flavicans, transversim rugosus, colliculis aut verrucis variae formae obsitus, intus vel omnino glaber, vel cuticulis longitudinalibus pallidis tectus.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarus, stypticus.

SINAPI. *Mostarda.* Semina.

Sinapis nigra L.

Locus. Habitat in campis Europae: colitur in hortis. Floret a Maio ad Iulium. Annua.

Forma. Semina sunt parva, subrotunda, obscure ferruginea, subrugulosa.

Propriet. Odor vix percipitur. Sapor subamarus, acris, vellicans. Manducata facile comminuuntur, irritant et calefaciunt linguam faucesque, et salivam albidam reddunt.

SPERMA CETI. *Spermaceti.* Oleum fixum animale coagulatum.

Physeter macrocephalus L.

Locus. Invenitur in cavitate cranii variorum Cetaceorum, praecipue speciei dictae.

Forma. Sperma ceti aut sevum balaenae est oleum fixum, coagulatum, cerae mole, album, squamulis siccis, mollibus, splendentibus, albis, semipellucidis compositum.

Propriet. Odor nullus. Sapor unctuosus. Ad aërem calidum flavescit et rancescit. Igni admotum accenditur et ardet flamma clara, sine fumo nec odore ingrato. In cucurbita igni proxime imposita destillatum, haud aquam acidam largitur, aliorum oleorum fixorum more, quanquam aliis conditionibus cum iis congruat: sed simulac fervere incipit, totum fere transit in conceptaculum, sine relicto carbonis vestigio: repetita destillatione perdit formam coaguli et liquidam assumit. Solvitur in acido vitrioli forti, e quo secedit, adiecta aqua: nihil tamen in acidis nitri aut marino solvitur. Solvitur etiam in aethere et alcohole fervido, e quo fundum petit ut refrigescit.

SPIGELIA. *Espigelia.* Radix.

Spigelia marilandica L.

Locus. Habitat in Carolina australi. Perennis.

Forma. Radix simplex, inaequalis, multis radiculis longiusculis munita.

Propriet. Odor foetidus, similis ei, quem aqua spargit in vase ligneo corrupta.

SPINA CERVINA. *Espinha cervina.* Baccae.

Rhamnus catharticus L.

Locus. Habitat in locis humidis Lusitaniae, totiusque Europae. Floret Aprili et Maio. Arbor.

Forma. Bacca est subglobosa, pisi mole, apice planiuscula, umbilici loco tuberculata, glabra, lucida, nigrescens, parenchymate viridiusculo, pulposo, succulento, quod continet quatuor semina ovata, postice convexa, ab antica parte acuta, utrinque compressa, subnitida, fusca.

Propriet. Odor nullus: sapor medius inter dulcem amarumque, protinus nauseosus, dein substypticus. Manducatae tingunt salivam colore viridi in rubrum vergente.

SPONGIA. *Esponja.* Zoophyton.

Spongia officinalis L.

Locus. Habitat in mari mediterraneo et brasiliensi.

Forma. Spongia est substantia mollis, fibrosa aut stupea, colore magis minusve flavido aut fusco, foraminibus aut loculis plena, quibus humores sorbens, turget. Eligenda est subtilissima, levissima, foraminibus exiguis, colore flavido, libera sordibus et concharum frustis, quae saepe continet.

Propriet. Nullum habet odorem, neque saporem. Est satis elastica.

STANNUM. *Estanho.* Metallum imperfectum.

Locus. Invenitur in terrae penetralibus, varia forma: nimirum: 1. nativum aut virgineum; 2. calcis forma, variae figurae ac variorum colorum; 3. minima copia cupri, ope sulfuris in mineram redactum.

Forma. Metallum est blandum, paullo durius quam plumbum, album, argenteo splendore, flexile; dum flectitur, crepitat.

Propriet. Odor nullus, sed calefactum aut frictum, spargit odorem peculiarem; sapor est ingratus. Gravitas specifica est 7 ad 7,45. Fusi est 729,14. *Brisson.* Pes cubicus pendit fere 510 pondo. Satis aptum est, sub malleo cudi ac paudi, in fila quoque duci potest, quorum unum, decimam pollicis partem diametro aequans sustinet 49 libras cum octo unciis sine ruptura. Ad aërem sensim splendorem amittit: cum impurum est, superficies obtegitur strato cinereo, quod calx est stanni, producta acido aëreo aut mephitico atmosphaerae. Igni lento impositum funditur adeo facile, ut ideo fusu facillimum omnium habeatur metallorum. Fusum in vase aperto, quae aëre tangitur, superficies pulvere tegitur cinereo: is calx est, *cinis stanni* dicta, quae cum diutius ignem passa fuerit, albescit, *cinis stanni albus* vocata: is demum, ope ignis violentissimi vertitur in vitrum, rubini aut hyacinthi specie. Fusum denique stannum igne forti, quo candet, ardet flamma alba, satis clara, fumoque avolat, qui collectus calcem sistit albidam, in acubus, nomine *florum stanni.* Aqua pura haud mutatur, sed perdit splendorem: communis aqua, sales continens, id arrodit. Acida

mineralia solvunt stannum varia vi, pro singulorum indole. Acidum vitrioli, caloris adminiculo, solvit id, sine fervore; sed, dum solvitur, spargit vapores suffocativos, qui *gaz sulfureum* sistunt. Acidum nitrosum solvit id tanta vi tantoque fervore, ut ipso momento metallum praecipitetur forma calcis albae, evolutis simul vaporibus rubris. Acidum marinum solvit fervore et odore admodum foetido. Aqua regia aut acidum nitroso-marinum solvit id vehementer et calore orto violento. Acetum vini et acida vegetabilia corrosa superficie vertunt in calcem. Nubitur sulfuri, facileque iungitur omnibus metallis ac semimetallis, quorum aptitudinem sub malleo pandi minuit, facitque fere omnia, praecipue cuprum, duriora et magis sonora.

STORAX. *Estoraque.* Balsamum solidum.

Styrax officinalis L.

Locus. Habitat in Gallia provinciali, in Italia et Oriente. Arbor.

Forma. Balsamum in granis aut lacrimis purissimis, subdiaphanis, albidis aut pallidis, pisi minoris mole, quae statim funduntur, ut digitis contrectantur: aut in frustis glutinosis, facile fusis, quae particulas albas continent, flavidas, oleosas, purissimas, variae molis et figurae: aut denique massa fusca, rubicunda, levi, digitis comminuenda, et cum comprimitur in massas colligenda, quae particulis squamosis, albidis lucidis, ac festucis arenaque miscetur. Prior species est *Storax in lacrimis* aut *granis*, quae in museis tantummodo occurrit, carissimi pretii: secunda vocatur *Calamita* aut *Gabalita*, quae

et ingentis pretii est: tertia demum est *Storax vulgaris*, quae in officinis pro Calamita venditur.

Propriet. Odor est fragrantissimus, suavissimus: sapor aromaticus, gratus. Solvitur in spiritu vini iuxta ac in aqua, cui impertit fragrantiam: quapropter Chemici nonnulli Gummi-resinis adnumerant, alii ab his segregant, inter Balsama numerantes, ob salem acidum, benzoico similem, quem sublimatione obtinemus. Storax vulgaris saporem habet subamaricantem. Manducata comminuitur statim in pulverem, deinde vero in massas colligitur, sine adhaesione ad dentes: postremo in saliva solvitur, quam colore tingit lacteo subrubicundo. Accensa ardet flamma alba sublurida, fumo aromatico, superstite paucissimo cinere. Igni in vase clauso imposita funditur duntaxat pars resinosa. Nec solvitur in oleis fixis, nec ea tingit; olea destillata, in quibus haud solvitur, tingit colore aureo.

SUCCINUM. *Alambre.* Bitumen.

Succinum electricum L.

Locus. Invenitur ad litora maris baltici et in terrae penetralibus ad ipsa litora aliisque locis.

Forma. Bitumen est solidum, in frustis variae molis, plus minusve flavum, ut et album, diaphanum aut opacum, fragile. Eliguntur frusta speciosa, dura, clara et pellucida, alba aut flava, sine sordibus.

Propriet. Odor nullus, nec sapor. Manibus frictum aut secum ipsum, vim electricam obtinet, attractis paleis festucisque, simul odorem spirat gratum, praecipue fusum. Id autem contingit ad gr. 550

therm. Fahrenh. At tunc perdit pelluciditatem. Prunis iniectum, ardet flamma pallida, fumo edito albo spisso, suaveolente. Nec in aqua nec in spiritu vini solvitur: cum hic est rectificatissimus, fit rubicundus. Solvitur in acido vitrioli, cui colorem rubrum impertit; ex eo autem aquae ope praecipitatur.

SULFUR. *Enxofre.*

Sulfur nativum, vel Phlogiston minerale acido vitrioli iunctum. *Cronstedt.*

Locus. Invenitur: 1. *nativum*, in frustis solutis variae figurae, quae venas rupibus interiectas formant, aut in parvis frustis, quae rupes calcareas circa montes ignivomos occupant: nunc crystallis pallidis transparentibus aut semipellucidis octogonis seu rhomboideis in caveis quarzi: iam forma acicularum natantium in superficie aquarum mineralium calidarum, aut circa montes ignivomos; 2. terrae argillaceae mixtum; 3. arcte iunctum terrae calcareae, ut *hepar sulfuris*; 4. ferro argillaeque nuptum, unde extrahitur sublimatione sulfur usitatum, de quo sermo est; 5. metallis iunctum, quae in mineras reducit.

Forma. Sulfur usitatum aut venale est corpus solidum, siccum, durum, sed admodum fragile, colore flavo, tubulis aut frustis levibus, quae manibus compressa, franguntur.

Propriet. Odor nullus. Sapor fere insipidus. Rasum acquirit vim attrahendi, seu electricam. Igni impositum in vase clauso, mollitur et funditur, colore flavo in viridem aut rubrum mutato, odore sparso foetido et suffocante. Igne aucto pulvis flavus subli-

matur, nomine *florum sulfuris.* Calefactum sulfur ad aërem aut admotum corpori candenti, illico accenditur, ardet flamma coerulea, stipata vaporibus albis, foetidis et fuffocantibus, qui constituunt *acidum sulfuricum volatile.* In aqua haud solvitur, nisi ope longae triturationis ipsi impertiat vim quamdam: nec in spiritu vini, nisi obvii sint vapores utriusque. In oleis, caloris auxilio solvitur, spissiora reddit et colorem saturiorem. Nubitur alcalibus fixis, tum via humida, tum sicca. Secedit in elementa ope acidi nitrosi fortis, pariter et pars quaedam in acido vitriolico, et in marino dephlogisticato, altera parte in ipsis acidis soluta. Iungitur variis terrarum speciebus, maxime calcareis et similiter omnibus metallis.

TAMARINDUS. *Tamarindos.* Fructus.

Tamarindus indica L.

Locus. Habitat in utraque India, in Arabia et Aegypto. Arbor.

Forma. Fructus est legumen elongatum, utroque latere compressum, subarcuatum, qua semina latent, turgidum, loculis uno aut tribus, totidemque seminibus compressis, angulatis, lucidis: cortice duplici, externe sicco, fragili, interne membranaceo: inter hos iacet pulpa mollis, rubicunda, quae dein nigrescit. Attamen in officinis prostat solummodo haec pulpa mixta fibris longiusculis et seminibus.

Propriet. Odor est subvinosus: sapor satis acidus, gratus.

TARAXACUM. *Dente de leão.* Radix.

Leontodon Taraxacum L.

Locus. Habitat in pratis et ad vias Lusitaniae totiusque Europae. Floret Aprili ad Iulium. Perennis, vulgaris.

Forma. Radix est cylindrica, fusca, rugosa, rugis transversalibus, annularibus; digiti minimi crassitie, palmi longitudine; subramosa; munita utrinque serie simplici fibrarum capillarium. Parenchyma est carnosum, laminis variis formatum, aut pelliculis imbricatis: medulla rigida, transversim secta, centrum habet circellis aut annulis concentricis compositum.

Propriet. Odor nullus. Sapor amarus, cum aliqua dulcedine initio. Protinus ut evellitur, stillat succum spissum, candidum, cremori lactis similem, amarum.

TARTARUS CRUDUS. *Tartaro.* Sal essentialis acidus.

Tartarus vini L.

Locus. Invenitur in vasis, quorum fundum petit, dum sensim vinum fermentat.

Forma. Tartarus est sal essentialis acidus, nuptus alcali vegetabili et oleo, in laminis irregularibus, quae mox compactae subdiaphanae sunt, stratis dispositae, crystallis exiguis splendidis refertae exalbidae aut rubescentes; mox haud compactae, impurae, opacae, quae facile fatiscunt. Alter vocatur *Tartarus albus*, optimus; alter *Tartarus ruber.*

Propriet. Sapor est acido-vinosus. Ad ignem apertum vertitur in alcali vegetabile. In aqua difficulter

solvitur: namque frigidae uncia una solvit duntaxat grana quatuor, sed postquam purgatus est, aqua fervida, quae vigesies quater pondus ipsius superat, omnino eum recipit.

TEREBINTHINA VENETA. *Terebinthina fina.* Resina liquida.

Pinus Larix L.

Locus. Habitat in montibus Europae australis, in Sibiria etc. Arbor.

Forma. Terebinthina est resina mellis more liquida aut syrupi spissi, pellucida, clara, albida aut pallido-flavicans, satis glutinosa, quae in fila admodum longa ducitur.

Propriet. Odor est fragrans, balsamicus. Sapor amarus, aromatico-balsamicus, subacris. In alcohole penitus solvitur, sine ignis auxilio; in aquam haud recipitur, nisi adminiculo vitelli ovi aut mucilaginis, quo facto nascitur mixtio lactea. Destillata balneo Mariae, oleum largitur volatile satis clarum et graveolens, et ad calorem aquae bullientis exhibet oleum gravius, quo facto superest *Terebinthina cocta* seu *Colophonia.*

N. Haec est Terebinthina usitatior in officinis. Optima est terebinthina (balsamum) canadensis: sequitur argentoratensis, post veneta, de qua hic sermo est, novissime terebinthina communis; quae vilis est.

TESTAE OSTREORUM. *Conchas de ostras.*

Ostrea edulis L.

Locus. Habitat in oceano et Tago fluvio.

Forma. Duae conchae sunt inaequales, altera plana, altera convexa, utraque hactenus iuncta, ut formam subrotundam, sulcatam, striatam, squamosam referant.

Propriet. Nullum habent odorem, nec saporem: cum acidis effervescunt, igne violento in calcem mutantur.

THYMUS. *Tomilho.* Herba.

Thymus vulgaris L.

Locus. Habitat in terris arenosis, rupestribus Lusitaniae, Europae australis et Orientis: colitur in hortis. Floret a Iunio ad Augustum. Frutex vulgaris.

Forma. Thymus est frutieulus ramosissimus, erectus, ramis oppositis, obsolete quadrangulis, pubescentibus, foliis oppositis, petiolatis, ovato-oblongis, revolutis, obtusis, punctatis, nitidis aut pubescentibus.

Propriet. Odor fragrans, fortis, gratus. Sapor aromaticus, subamarus, vellicans

TORMENTILLA. *Tormentilla.* Radix.

Tormentilla erecta L.

Locus. Habitat in pratis sterilibus, nemoribus et terris subhumidis Lusitaniae, Hispaniae etc. Floret a Iunio ad Augustum. Perennis, vulgaris.

Forma. Radix est subcylindrica, tortuosa, nodosa, superne crassior, saepe subrotunda, extus fusca, intus rubra.

Propriet. Odor nullus: sapor stypticus, suboromaticus.

TRAGACANTHA. *Alcatira.* Gummi.

Astragalus Tragacantha L.

Locus. Habitat in Europa australi et Oriente. Frutex.

Forma. Gummi in frustis, quae funiculos tortos aut grana subrotunda, albida aut pallida, subdiaphana, levia, lucida et fragilia referunt. Est species eius gummi, vocata *Tragacantha in specie* s. *bassorensis*, cuius frusta sunt colorata et sordida, igitur reiicienda.

Propriet. Odor nullus. Sapor insipidus. Manducata comminuitur et penitus solvitur. Solvitur, ut aliae gummi species, in aqua, sed haec maiorem poscit copiam, cum durior sit aliis.

TRIFOLIUM FIBRINUM. *Trevo d'agua.* Folia.

Menyanthes trifoliata L.

Locus. Habitat in paludibus et locis uliginosis totius Europae. Floret Iunio et Iulio. Perennis.

Forma. Omnia folia sunt radicalia, petiolata, ternata. Foliola ovata, obtusa, utrinque glabra, venosa, subundulata, aequalia, bipollicaria: teneriora sunt oblonga. Petioli teretes, striati, basi vaginantes. Surgit e radice pedunculus nudus, glaber, teres, erectus, foliis longior, floribus subternis, monopetalis, infundibuliformibus, intus barbatis, laciniis lanceolatis, acutis.

Propriet. Odor haud evidens. Sapor amarissimus.

TRITICUM. *Trigo.* Semina. Amylum.

Triticum aestivum et *hybernum* L.

Locus. Patriam exploratam nondum habemus: sed colitur per omnem terrarum orbem. Annuum.

Forma. Semina sunt ovato-oblonga, utrinque obtusa, hinc convexa, illinc sulcata, cuticula flavicante, medulla farinosa, alba. Amylum, quod vera tritici faecula est, ope fermentationis nata, obvenit in frustis siccis, angulatis, irregularibus, candidissimis, quae facile digitis comminuuntur, crepitant, dum fricantur.

Propriet. Odor nullus. Sapor seminum insipidus: manducata videntur viscosa, glutinis more. Amylum pariter insipidum est. Cum in aquam frigidam aut tepidam coniicitur, haud depsitur, neque solvitur. Agitatum autem tandem abit in pultem lacteam: cum autem in aqua bullit, aut bulliente aqua iniecta depsitur, in gelatinam mollem, claram, admodum glutinosam mutatur. Nec in alcohole, nec in acidis solvitur.

TUS. *Incenso.* Gummi-resina.

Iuniperus lycia et *turifera* L.

Locus. Habitat in Africa, Aethiopia, Arabia. Arbor.

Forma. Est gummi-resina alba, lutea aut flavicans; in lacrimis et granis ovatis, oblongis, variae molis, solutis aut ad se invicem agglutinatis, glabris, subopacis, fragilibus: qua franguntur, planiusculis. Eligenda est, quae in granis occurrit aut lacrimis formosis, limpidis; colore albo subflavicante; fragilibus, aroma olentibus, maxime si flammae ad-

moventur; sapore amaro, quaeque salivam reddunt albam.

Propriet. Odor est aromaticus, suavis, balsamicus: sapor subamarus, aromaticus. Manducatum tus comminuitur, mollitur, dentibus adhaeret, albescit, in saliva solvitur, quam lacteo colore imbuit. Flammae admotum accenditur, sed nec mollitur nec funditur: ardet candelae ad instar, flamma clara, sparso odore aromatico, balsamico, superstite denique carbone sicco, nigrescente. In aqua tritum partim solvitur, solutione lactea: pariter et in spiritu vini, quae tinctura flavicans est et pellucida. In oleis destillatis aut essentialibus haud omnino solvitur: sed mollitum olea saturiori colore tingit. Denique in oleis fixis nec solvitur nec ea tingit, licet in iis molliatur.

UVA URSI. *Uva de urso.* Folia.

Arbutus Uva ursi L.

Locus. Habitat in locis rupestribus umbrosisque montium Europae, et in Pyrenaeis hispanicis. Floret vere. Frutex.

Forma. Folia sunt ovali-oblonga, apice dilatata, obtusa, integerrima, coriacea, dum recentia sunt, colore obscure viridi, pallidiori, cum sicca sunt, sublucida, supra rugulosa, subtus venosa.

Propriet. Odor nullus. Sapor stypticus, subamarus, sed gratus.

VALERIANA. *Valeriana.* Radix.

Valeriana officinalis L.

Locus. Habitat in locis humidis depressisque iuxta ac in editis, siccis, montanis Europae. Floret a Maio ad Iulium. Perennis.

Forma. Radix est alba, cylindrica, nodis annulatis ciliatis referta, inferne in fibras filiformes, albas abit. Parenchyma radicis est subcarnosum, album, medulla insigni margine undulata.

Propriet. Odor fragrans, sed ingratus et foetidus. Sapor subdulcis, amarus. In sicca radice uterque magis conspicuus est.

VERONICA. *Veronica.* Herba.

Veronica officinalis L.

Locus. Habitat in terris incultis Europae. Floret Maio et Iunio. Perennis.

Forma. Caulis est diffusus, teres, simplex, pilosus, nodis instructus, e quibus folia prodeunt sessilia, villosa, serrata, pallide-viridia, inferiora cuneata, superiora ovali-oblonga, obtusa, paullo maiora inferioribus, remotiora.

Propriet. Odor radicis siccae nullus. Sapor subamarus, adstringens.

VINUM ALBUM ET RUBRUM. *Vinho branco e tinto.*

Forma. Vinum est liquor aquosus, pellucidus, colore rubro aut albo, e musti fermentatione natus.

Propriet. Odor est fragraus, spirituosus: sapor subvellicans, dulcis aut acidulus. Solvit extracta, resinas et metalla nonnulla. Destillatum vix fervet vinum, largitur liquorem clarum, subopacum, lacteum et flagrantiae capacem, saporis ardentis et morsicantis, odoris fortis suavisque, qui *spiritus ardens* vulgo vocatur. Is autem magis minusve spirituosus est, pro ratione modi et qualitate vini, quod de-

stillatur. Est autem vere compositus aqua, alcohole et pauxillo olei, quod ipsi, dum destillatur, pelluciditatem adimit, dein tingens eum colore flavo. Qui coloris eius expers est, quod maiorem alcoholis copiam habet, vocatur *spiritus vini fortior*. Vinum, quod superest in cucurbita, ademto alcohole omni, obscurum habet colorem saporemque acido-stypticum, crystallos continet multas tartareas, in particulas omnino secessit, neque restitui possunt priores qualitates, nisi alcohol addatur, quo orbatum est. Evaporatum id vinum, in extractum vertitur, e quo extrahitur, ope alcoholis, pars colorans, intacto tartaro. Haec tinctura evaporata ad siccitatem, reliquias habet flagrantiae capaces, aqua solubiles. Ex omnibus colligitur, vinum componi aqua, principiis alcoholis, tartari, pigmenti et aromatis, quod igne perit vel mutatur.

VITRIOLUM ALBUM. *Vitriolo Branco*. Sal neuter metallicus.

Vitriolum album L.
Zincum vitriolatum Bergm.

Locus. Subinde occurrit nativum in crystallis capillaribus aut stalactitis, in Pannonia, aut pulveris in zinci fodinis, etiam in fontibus mineralibus solutum. Illud autem, quo vulgo utimur, est artificiale.

Forma. Vitriolum album est sal neuter metallicus, e connubio acidi vitriolici cum zinco ortus, obvius in massis grandibus conicis, qualibus saccharum depuratum venit. Crystallis constat rhomboideis, parvis, irregularibus, albis, quae cum formam solidam adeptae sunt, prismata constituunt tetraedra, pyramidibus duabus tetraedris terminata.

Propriet. Sapor est stypticus, nauseosus. Ad ignem perdit acidi partem: ad tubulum fusorium turget mox et fervet, dein quiescit, zinco formam metallicam recuperante, flammam dat splendidam, avolantibus floribus aut floccis albis. Solvitur in aquae copia, quae paullo superat duplum pondus: ex ea solutione ope alcalium et terrarum, pulvis albidus fundum petit, qui vera est *zinci calx*.

VITRIOLUM COERULEUM. *Vitriolo de cobre* s. *Caparrosa azul.* Sal neuter metallicus.

Vitriolum cyprinum L.
Cyprum vitriolatum Bergm.

Locus. Invenitur in fodinis cupri, crystallorum, stalactitis, pulveris forma, in aqua etiam solutum, in Pannonia, Suecia, Hibernia etc. Id vero, quo vulgo utimur, est arte factum.

Forma. Vitriolum coeruleum est sal neuter metallicus, e connubio acidi vitriolici cum cupro ortus, crystallis rhomboideis, longiusculis, coeruleis obvius.

Propriet. Sapor est admodum stypticus, nauseosus. Frictus ad ferrum politum humidumque strias rubras relinquit. Ad ignem celeriter funditur, perdita aqua crystallis idonea, vertitur in pulverem albido-flavicantem, denique penitus secedit in elementa, cum ignis vis maxime aucta est. Ad tubulum fusorium statim tumescit cum strepitu et fervore, tunc quiescit, metallo saepe splendorem recuperante, praesertim in carbone, relicta scoria informi, quae boracis adminiculo solvitur: haec enim substantia aptissima est ad connubium cum hoc metallo. Solvitur in quater tanto aquae: e qua solutione cuprum prae-

cipitatur ope alcalium fixorum, forma pulveris coerulei, qui, postquam siccuerit, viridis fit; ope alcali volatilis pulvis exalbidus subcoerulescens fundum petit, qui siccescens colorem obscure coeruleum acquirit.

VITRIOLUM VIRIDE. *Vitriolo de ferro* s. *Caparrosa verde*. Sal neuter metallicus.

Vitriolum Martis L.

Ferrum vitriolatum Bergman.

Locus. Invenitur in metallifodinis et superficie terrae, variis formis: nempe, crystallis, stalactite, filis sericeis, fragilibus; pulvere: massis subrotundis et solutum in aquis martialibus.

Forma. Vitriolum viride est sal neuter metallicus, e connubio acidi vitriolici cum ferro natus, obvius in crystallis aut prismatibus rhomboideis, pellucidis, smaragdinis.

Propriet. Sapor admodum stypticus. Ad aërem paullulum flavescit ferrugineque obtegitur. Igne lento aut ad solem fatiscit in pulverem flavidum, qui demum albescit. Sed ad fortiorem ignem perdit acidum, rubrumque adipiscitur colorem. In dupla portione frigidae aquae solvitur: e qua solutione ferrum praecipitatur ope alcalium fixorum, forma pulveris albidi viridescentis; ope alcali volatilis in pulverem cinereo-viridem; ac ope substantiarum vegetabilium stypticarum in pulverem nigrum.

ZINCUM. *Zinco*. Semimetallum.

Zincum mineralisatum L.

Locus. Invenitur variis formis, variaque indole,

mox nativum, Cronstedtio, teste, ad Schneeberg, et Bomareo in ducatu Limburgensi; in mineram ope acidi aerei et sulfuris reductum et in forma calcis. v. *Lapis calaminaris.*

Forma. Zincum est semimetallum albo-coerulescens, splendens, maxime qua frangitur, laminis compositum aut facieculis imbricatis, quas interdum aciculae perforare videntur.

Propriet. Nullum habet odorem, nec saporem. Gravitas specifica fusi est 71,908. *Brisson.* Malleo pulsatum parumper mollitur, nequicquam vero panditur. Aëri expositum splendorem amittit: ad ignem haud prius in calcem abit, quam fusum, sed obscurius fit. In vase clauso fusum sublimatur citra particularum secessum; attamen aëris contactu in calcem superficies cineream vertitur. Aucto denique igne hactenus, ut zincum candescat, accenditur subito et flamma clara, coeruleo-viridi ardet, avolante calce floccis aut aciculis subtilissimis et candidissimis, quibus nomen *florum zinci* aut *lanae philosophicae* impertitur: ea substantia demum igne fortissimo mutatur in vitrum flavidum. Cum iis floccis alia substantia sublimatur, laminas constituens aut tubulos cortici arborum similes; quae ipsa est metalli calx impura, *tutia* officinis dicta. Mediocriter durum est et ponderosum, colore obscurum, exterius inaequale, intus glabrum et flavicans. Nonnulla est subcoerulea, pro ratione admixti zinci metallici. Solvitur zincum in acido diluto vitrioli, fortiter effervescens, calore, foetore et fumo flagrantiae capaci editis: haec solutio evaporata et in crystallos versa, appellatur *Vitriolum zinci* seu *album.* Pariter solvi-

tur in acido nitroso, summo fervore, calore et fumo rubicundo: quae solutio, protinus subviridis et turbida, dein clarescit et aquae ad instar pellucida est. In acido marino fervore minori solvitur, sed foetore et fumo flagrantiae capaci: solutio est clara. In acido nitroso-marino seu aqua regia solvitur cum fervore et aestu, solutione flava. In aceto vini parum solvitur, clara solutione. In sulphure nec solvitur, sed cum eo miscetur. Cum nonnullis metallis iungitur, e quo connubio nascitur orichalcum.

ZINGIBER COMMUNE s. ALBUM. *Gengibre.* Radix.

Amomum Zingiber L.

Locus. Habitat in India orientali, praesertim in montibus circa Gengi, unde nomen duxisse videtur: crescit quoque in Malabaria, Ceylona, China; colitur in Antillis et Brasilia. Perennis.

Forma. Radix recens est tuberosa, nodosa, annulata, extus alba, cinerea aut flavicans, rugosa, ramosa, cuticula tenerrima vestita. Parenchyma est carnosum, flavum, quod transversim sectum aequale videtur, annullo centrali. Radicem siccam habemus in frustis longiusculis, ramosis aut furcatis, subcompressis, ovato-nodosis, cinereo-rubicundis, parenchymate albo, maculis flavidis consperso, nodis fragili, et fibroso, qua frangitur.

Propriet. Odor fragrans. Sapor vellicans, acris, aromaticus.

PARS SECUNDA

DE

MEDICAMENTIS PRAEPARATIS ET COMPOSITIS

ACETUM ANTISEPTICUM.

v. *Acetum aromaticum*.

ACETUM AROMATICUM

s. *Acetum quatuor latronum* s. *Acetum antisepticum*.

℞. Summitatum Rorismarini,
Foliorum Salviae, singulorum uncias quatuor,
Florum Lavandulae uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum drachmas duas,
Aceti vini libras octo.

Macerentur per quatriduum. Expressa coque, post cola per chartam emporeticam, servetur in vase clauso.

ACETUM COLCHICI

fit eodem modo quo Acetum Lavandulae.

ACETUM LAVANDULAE.

℞. Florum Lavandulae recens siccatorum libram unam,

ACIDUM NITROSUM DILUTUM

s. *Spiritus nitri tenuis* s. *Aqua fortis.*

℞. Acidi nitrosi et
Aquae fontanae, singulorum partes aequales.
Misceantur.

ACIDUM VITRIOLI ALCOHOLISATUM

s. *Spiritus vitrioli dulcis* s. *Liquor anodynus mineralis.*

℞. Olei vitrioli albi,
Alcoholis, singulorum libram unam.
Acidum sensim alcoholi cucurbitae immisso instilletur, adiuncto excipulo tubulato, calore mediocri destilletur, donec vapores sulfurei apparuerint.

ACIDUM VITRIOLI AROMATICUM

s. *Elixir acidum vitrioli.*

℞. Alcoholis libras duas,
Olei vitrioli uncias sex.
Acidum sensim alcoholi instilletur: digeratur mixtio levissimo calore, in vase clauso, per triduum. Tum addantur
Cinnamomi subtilis sesquiuncia,
Radicis Zingiberis uncia una.
Digerantur eodem modo per sex dies, post colentur per chartam emporeticam.

ACIDUM VITRIOLI DILUTUM

s. *Spiritus vitrioli.*

℞. Olei vitrioli albi unciam dimidiam,
Aquae destillatae libras duas.
Misceantur.

AETHER VITRIOLI.

℞. Acidi vitrioli alcoholisati libras duas,
Alcali vegetabilis probe siccati unciam unam.
Mixta destillentur leni calore ad uncias quatuordecim.

AETHIOPS ANTIMONIALIS.

℞. Mercurii depurati sesquiunciam,
Sulfuris antimonii praecipitati unciam unam.
Triturentur in mortario vitreo, donec globuli mercurii evanuerint.

AETHIOPS MINERALIS.

℞. Mercurii depurati,
Sulfuris pulverati, singulorum unciam unam.
Triturentur in mortario vitreo aut lapideo, donec globuli exstincti fuerint.

ALCALI AMMONIACUM AQUOSUM

s. *Spiritus salis ammoniaci.*

℞. Salis ammoniaci depurati,
Alcali vegetabilis, singulorum libram unam,
Aquae fontanae libras duas.

Mixtis salibus et in cucurbita vitrea positis infundatur aqua ac destilletur balneo Mariae ad siccitatem.

ALCALI AMMONIACUM VOLATILE

s. *Sal volatile salis ammoniaci.*

℞. Salis ammoniaci pulverati libram unam,
Cretae praeparatae et pulveratae libras duas.
Mixta sublimentur.

ALCALI MINERALE VITRIOLATUM

s. *Sal catharticus* s. *Sal Glauberi.*

℞. Residui e destillato acido marino libras duas.
Calcinetur in vase aperto, igne violento, donec superfluum acidum amissum fuerit: ebulliat parumper in aquae libris duabus et dimidia, coquatur et in crystallos secedere iubeatur.

ALCALI VEGETABILE

s. *Sal tartari.*

℞. Faecum vini aut Tartari crudi quantum libet.
Calcinetur in crucibulo aut alio vase capaci et aperto, donec fumum spargere desierit et conversa sit massa in substantiam albam, aut saltem cineream. Solvatur in aquae fervidae quantitate sufficienti, coletur, evaporetur ad siccitatem et servetur in vase clauso.

ALCALI VEGETABILE TARTARISATUM

s. Tartarus solubilis s. Tartarus tartarisatus.

℞. Alcali vegetabilis libram unam,
Aquae libras octo.

Solvatur sal in aqua bulliente, sensim addatur Cremoris tartari subtiliter pulverati quantum sufficit ad saturationem.

Coletur et in crystallos abire iubeatur.

ALCALI VEGETABILE CUM ACETO

s. Terra foliata Tartari s. Tartarus regeneratus s. Sal diureticus.

℞. Alcali vegetabilis libram unam,
Aceti vini libras quatuor aut quinque.

Ebulliant igne lento, in vase fictili vitrea substantia haud obducto, donec nascatur pellicula. Dum alcali excedere cognoscitur, addatur denuo acetum, donec saturetur. Tum liquor coletur, evaporetur ad siccitatem. Solutus in aqua denuo coletur, iterum ad siccitatem evaporetur, servetur denique in vase clauso.

ALCALI VEGETABILE VITRIOLATUM

s. Tartarus vitriolatus s. Sal polychrestus.

℞. Olei vitrioli diluti cum aequali pondere aquae, quantum libet,
Alcali vegetabilis in dupla ponderis quantitate aquae soluti, quantum sufficit ad saturationem.

Absoluto fervore in vase amplo vitreo, coletur per chartam et crystalli formentur.

ALCALI VOLATILE FLUIDUM

s. *Spiritus salis ammoniaci causticus.*

℞. Salis ammoniaci pulverati libram unam,
Calcis extinctae libras tres.

Mixta invicem in mortario vitreo, statim mittantur in cucurbitam vitream aut fictilem, addita aquae communis libra una. Admoto excipulo amplo tubulato, probeque luto obducto, destilletur.

ALCOHOL

s. *Spiritus vini rectificatus.*

℞. Spiritus vini libras duodecim.

Destilletur igne miti tertia pars.

ALUMEN USTUM.

In olla fictili aut ferrea collocatum ignescat, donec spongiosum fiat et spumam edere cesset.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

v. *Calx antimonii.*

ANTIMONIUM MURIATUM

s. *Causticum antimoniale* s. *Butyrum Antimonii.*

℞. Antimonii vitrificati pulverati libram unam,
Salis communis probe siccati libras duas.

Exacte mixta mittantur in cucurbitam vitream, sensim addita

Olei vitrioli libra una.

Destilletur balneo arenae, excipulo idoneo, curando ut fundatur id quod colligitur et coït in collo cucurbitae, admota pruna.

ANTIMONIUM PRAEPARATUM.

℞. Antimonii crudi quantum libet.

Pistum in mortario ferreo in pulverem vertatur. Dein super lapide laevigetur et in pollen subtilissimum mutetur, affusa aquae copia sufficiente. Huic pollini potest infundi aquae ingens copia, ut penitus eluatur, decantata dein aqua, siccatur et loco tepido servatur.

ANTIMONIUM TARTARISATUM

s. *Tartarus antimonialis* s. *Tartarus emeticus* s. *Tartarus stibiatus*.

℞. Antimonii vitrificati pulverati uncias quatuor,
Cremoris Tartari libram unam,
Aquae libras octo.

Ebulliant per quadrantem horae in vase apto, coletur liquor calidus, evaporetur et in crystallos abire iubeatur.

ANTIMONIUM VITRIFICATUM

s. *Vitrum Antimonii*.

℞. Antimonii pulverati uncias quatuor.

Ponatur in vas fictile nec altum, nec massa vitrea obductum ad ignem mitem, sensim auctum, continuo agitando spathula ferrea, nec in grumos

coëat, donec vapores nulli vel visui vel olfactui obvii sint. Hac massa impletur olla ad duas e tribus partibus. Operculo probe clauso imposito ad ignem moderatum collocetur, qui sensim adeo augetur, ut massa fundatur, fusa autem in lapidem frigidum coniicitur.

AQUA ALUMINOSA

s. *Aqua styptica.*

℞. Aluminis,
Vitrioli albi, singulorum unciam dimidiam,
Aquae fontanae fervidae libras duas cum dimidia.
Solutio in vase vitreo facta coletur.

AQUA CALCIS.

℞. Calcis vivae recentis libram unam,
Aquae fontanae libras octo.
Aqua paullatim infundatur: ebullitione finita, calce praecipitata, coletur et servetur in vasis clausis.

AQUA CALCIS COMPOSITA.

℞. Ligni Sassafras rasi uncias duas,
Nucis moschatae pulveratae drachmas tres,
Radicis Glycyrrhizae concisae unciam unam,
Aquae calcis libras quatuor.
Macerentur per nychthemeron in vase clauso: dein colentur.

AQUA CALCIS CUM CHINA.

℞. Chinae pulveratae uncias duas,

Calcis vivae unciam unam,
Aquae calcis uncias duas cum dimidia.

Triturata sedulo China cum calce, paullatim aqua additur. Macerata per nychthemeron coletur.

AQUA CINNAMOMI.

℞. Cinnamomi subtilis libram unam,
Aquae fontanae libras duodecim.

Macerata per nychthemeron destillentur octo duntaxat librae.

AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

v. *Spiritus Cinnamomi.*

AQUA CUPRI AMMONIACI

s. *Aqua sapphirina* s. *Vitrioli coerulea.*

℞. Aquae calcis libram unam,
Salis ammoniaci drachmam unam,
Aeruginis grana sex.

Mixta coquantur per nychthemeron.

AQUA FLORUM AURANTIORUM.

℞. Petalorum floris Aurantiorum libras sex,
Aquae fontanae quantum sufficit ad vitandum empyreuma.

Destillentur octo librae.

AQUA FLORUM ROSARUM
SAMBUCI

simili modo parantur ac Aqua florum Aurantiorum.

AQUA FORTIS.

v. *Acidum nitrosum dilutum.*

AQUA HORDEI.

v. *Decoctum Hordei.*

AQUA LAXATIVA.

v. *Infusum Sennae tartarisatum.*

AQUA LUCAE.

v. *Spiritus Ammoniaci cum Succino.*

AQUA MELISSAE.

v. *Spiritus Melissae compositus.*

AQUA MENTHAE CRISPAE ET PIPERITAE

eodem modo conficiuntur ac Aqua florum Aurantiorum.

AQUA PHAGADAENICA.

℞. Mercurii muriati scrupulum unum,
Salis ammoniaci scrupulum dimidium,
Aquae destillatae libram unam.
Misceantur.

AQUA REGINAE HUNGARIAE.

v. *Spiritus Rorismarini.*

AQUA SAPPHIRINA.

v. *Aqua Cupri ammoniaci.*

AQUA SATURNINA

s. *Aqua vegeto-mineralis.*

℞. Salis Plumbi unciam dimidiam,
Aceti vini uncias quatuor,
Aquae destillatae libras duas.
Misceantur.

AQUA STYPTICA.

v. *Aqua aluminis composita.*

AQUA VEGETO-MINERALIS

v. *Aqua saturnina.*

AQUA VIENNENSIS

s. *Infusum Sennae tartarisatum.*

AQUA VITRIOLI ALBA s. VITRIOLI ZINCI.

℞. Vitrioli Zinci drachmam unam,
Aquae destillatae libram unam.
Misceantur.

AQUA VITRIOLICA COERULEA.

v. *Aqua Cupri ammoniaci.*

BALSAMUM ANODYNUM.

v. *Linimentum Saponis cum Opio.*

BALSAMUM ARCAEI.

v. *Unguentum Elemi.*

siccam. Ea in pulverem subtilem conversa aqua tepida misceatur. Pulvis flavus statim praecipitatus lavetur, donec saporem omnem amiserit et siccus servetur.

CALX ZINCI

s. *Flores Zinci.*

Olla ampla in fornace duobus lateribus coctilibus ita imponatur, ut paullum inclinata orificium vertat ad os fornacis. Huic ollae immittitur zinci comminuti libra una, atque ope ignis aucti funditur zincum, ut simul olla operta candeat. Tum aperitur ea: quo facto zincum edet flammam splendentem, cum floccis levibus, albis, qui cochleari ferreo e superficie zinci et parietibus ollae demuntur: pergatur demendo eos, dum formantur, quod continget, donec consumtum fuerit zincum.

CATAPLASMA CANTHARIDUM

s. *Vesicatoria* s. *Massa caustica.*

℞. Cantharidum pulveratarum,
Farinae triticeae, singularum unciam dimidiam,
Aceti vini quantum sufficit, ut e mixtis fiat cataplasma crudum.

CATAPLASMA EMOLLIENS.

v. *Cataplasma Medullae panis.*

CATAPLASMA LINI CUM GALBANO

s. *Cataplasma maturativum.*

℞. Farinae Seminum Lini uncias quatuor,
Galbani vitello ovi subacti unciam unam,
Pulpae Ceparum sub cineribus calidis assarum unciam dimidiam,
Olei communis quantum sufficit.
Mixta contundantur, igneque lento in cataplasma mutentur.

CATAPLASMA MATURATIVUM.

v. *Cataplasma seminum Lini cum Galbano.*

CATAPLASMA MEDULLAE PANIS

s. *Catasplasma emolliens.*

℞. Medullae panis triticei lacte macerati, aut decocto simplici radicis Althaeae libram dimidiam,
Vitellos ovi tres,
Farinae Seminum Lini quantum sufficit.
Misceantur, fiat igne lento Cataplasma.

CATAPLASMA MEDULLAE PANIS CUM CICUTA

s. *Cataplasma resolvens.*

℞. Medullae panis triticei uncias sex,
Foliorum Cicutae pulveratorum uncias quatuor,
Aquae fontanae sesquilibram.
Coquantur ad molem idoneam.

CATAPLASMA RESOLVENS.

v. *Cataplasma Medullae panis cum Cicuta.*

CATAPLASMA SINAPIS.

℞. Sinapis pulveratae,
Medullae panis s. Fermenti, singulorum libram dimidiam,
Aceti vini, quantum sufficit, ut mixta fiant Cataplasma.

CATAPLASMA VESICATORIUM.

v. *Cataplasma Cantharidum.*

CAUSTICUM ANTIMONIALE.

v. *Antimonium muriatum.*

CAUSTICUM LUNARE.

v. *Nitrum Argenti.*

CERATUM ALBUM.

v. *Ceratum Spermatis Ceti.*

CERATUM CALAMINARIS.

℞. Lapidis calaminaris praeparati,
Cerae flavae, singulorum libram dimidiam,
Olei libram unam.

Fundatur oleum cum cera. Cum frigescere coeperit, addatur lapis calaminaris continua agitatione.

CERATUM PLUMBI

s. *Ceratum Saturni* s. *Pomatum Saturni.*

℞. Aceti plumbi uncias duas cum dimidia,
Cerae abae uncias quatuor,
Olei uncias novem.

Fundatur oleum cum cera. Cum frigescere coeperit, sensim affundatur acetum plumbi, agitando donec refrixerit.

CERATUM PLUMBI CAMFORATUM

s. *Ceratum Saturni camforatum.*

Cum Ceratum prius fere refrixerit, addantur Camforae in oleo subactae scrupuli duo.

CERATUM PLUMBI CUM SAPONE

s. *Ceratum Saturni cum Sapone.*

Cum cera in Cerato simplici fundi coeperit, addantur Saponis albi unciae tres.

CERATUM SPERMATIS CETI

s. *Ceratum album* s. *Unguentum Cerae.*

℞. Spermatis Ceti unciam dimidiam,
Cerae albae uncias duas,
Olei communis uncias quatuor.

Fusa refrigescant.

CONCHAE OSTREARUM PRAEPARATAE.

v. *Antimonium praeparatum.*

CONFECTIO CORDIALIS.

v. *Electuarium aromaticum.*

CONFECTIO IAPONICA.

v. *Electuarium Catechu.*

CONSERVA CORTICIS AURANTIORUM

eodem modo paratur ac Conserva Menthae.

CONSERVA CYNOSBATI FISTULAE

eodem modo parantur ac Conserva Prunorum.

CONSERVA MENTHAE.

Pinsantur folia Menthae caulibus orba et petiolis in mortario lapideo pistillo ligneo. Pasta facta traiiciatur per cribrum et misceatur cum duplo pondere sacchari albi pulverati.

CONSERVA OXALIDIS

eodem modo paratur ac Conserva Rosarum.

CONSERVA PRUNORUM.

℞. Pulpae Prunorum libram unam,
Sacchari albi pulverati libras duas.
Exacte misceantur.

CONSERVA ROSARUM.

℞. Rosarum rubrarum petalorum pulveratorum uncias tres,
Aquae destillatae Rosarum uncias octo.

Macerentur per sex horas: dein adde, continua agitatione,

Sacchari albi pulverati sesquilibram.

CONSERVA TAMARINDORUM

eodem modo paratur ac Conserva Prunorum.

CORALLIUM PRAEPARATUM.

v. *Antimonium praeparatum*.

CREMOR AUT CRYSTALLI TARTARI.

℞. Faecum vini aut Tartari crudi aqua tepida aliquoties lavati, dein pulverati quantum libet.

Ebulliat cum aqua sufficiente ad solutionem, coletur, evaporetur, ut crystalli formentur.

CROCUS FERRI.

v. *Ferrum praeparatum*.

CUPRUM AMMONIACUM.

℞. Vitrioli cupri uncias duas,

Alcali ammoniaci volatilis uncias tres.

Terantur invicem in mortario vitreo, donec, fervore cessante, in massam abierint uniformem rubicundam. Protinus in charta emporetica, dein blando calore siccescat, servanda in vase vitreo embolo vitreo.

DECOCTUM ALBUM.

v. *Decoctum Cornu Cervi*.

DECOCTUM ALTHAEAE.

℞. Radicis Althaeae concisae uncias sex,

Aquae communis libras octo,
Radicis Glycyrrhizae rasae uncias duas,

Ebulliat Althaea, donec decoctum quatuor libras pendat. Ad finem additur Glycyrrhiza, dein refrigescere iubeatur.

DECOCTUM ANTIFEBRILE.

v. *Decoctum Chinae compositum.*

DECOCTUM CATECHU.

℞. Catechu leviter pulverati drachmas duas,
Aquae fontanae uncias sexdecim.

Ebulliat, donec supersit libra una. Frigescenti adde

Spiritus Cinnamomi uncias duas.
Misce.

DECOCTUM CHINAE COMPOSITUM

s. *Decoctum antifebrile.*

℞. Chinae flavae pulveratae,
Serpentariae virginianae, singularum unciam dimidiam,
Aquae communis sesquilibram.

Ebulliat, donec supersit libra una. Vas clausum quiescat, donec refrixerit. Colato adde

Spiritus Cinnamomi uncias duas.

DECOCTUM GUAIACI COMPOSITUM

s. *Decoctum Lignorum.*

℞. Ligni Guaiaci rasi uncias tres,

Aquae fontanae libras sex.

Ebulliat, donec librae quatuor supersint. Ad finem addantur

Ligni Sassafras rasi uncia una,

Glycyrrhizae concisae unciae duae.

Digestioni committatur per duas horas, post coletur.

DECOCTUM HORDEI

s. *Aqua Hordei.*

℞. Hordei aristis privati uncias tres,

Aquae fontanae libras quatuor.

Ebulliat, donec dimidia pars supersit. Coletur.

DECOCTUM LIGNORUM.

v. *Decoctum Guaiaci compositum.*

DECOCTUM SARSAPARILAE.

℞. Radicis Sarsaparilae concisae uncias sex,

Aquae communis libras decem.

Digeratur per duas horas. Educta radix comminuatur, coquatur eadem aqua, donec dimidia supersit pars, denique coletur.

DECOCTUM SARSAPARILAE COMPOSITUM.

Addantur decocto simplici sub finem coctionis

Corticis Mezerei uncia dimidia,

Glycyrrhizae rasae unciae tres.

Digerantur denuo per horae spatium.

ELECTUARIUM AROMATICUM

s. *Confectio cordialis.*

℞. Pulveris aromatici uncias quatuor,
Conservae corticis Aurantiorum uncias sex,
Syrupi corticis Aurantiorum quantum sufficit.
M. f. electuarium.

ELECTUARIUM CATECHU

s. *Confectio iaponica.*

℞. Catechu pulverati uncias quatuor,
Kino pulverati uncias tres,
Pulveris aromatici uncias duas,
Opii in vino soluti sesquidrachmam,
Syrupi communis mellei quantum sufficit ut mixta fiant electuarium.

ELECTUARIUM FISTULAE.

℞. Pulpae Fistulae libram dimidiam,
Mannae uncias duas,
Pulpae Tamarindorum sesquiunciam,
Syrupi communis uncias sex.

Misceatur manna cum syrupo in mortario: bene subactis addantur pulpae. Evaporetur ad ignem blandum, donec idonea moles nascatur.

ELECTUARIUM LENITIVUM.

v. *Electuarium Sennae.*

ELECTUARIUM OPIATUM

s. *Theriaca*.

℞. Pulveris aromatici uncias sex,
Radicis Serpentariae virginianae pulveratae uncias tres,
Opii in vino soluti drachmas tres,
Mellis despumati quantum sufficit. M.

ELECTUARIUM SENNAE

s. *Electuarium lenitivum*.

℞. Foliorum Sennae pulveratorum uncias octo,
Seminum Anisi pulveratorum uncias quatuor,
Pulpae Prunorum libras duas,
Syrupi communis quantum sufficit. M.

ELIXIR ACIDUM VITRIOLI.

v. *Acidum vitriolicum aromaticum*.

ELIXIR GUAIACINUM VOLATILE.

v. *Tinctura Guaiaci ammoniacalis*.

ELIXIR PAREGORICUM.

v. *Tinctura Opii camforata*.

ELIXIR PROPRIETATIS.

v. *Tinctura Aloës composita*.

ELIXIR SALUTIS.

v. *Tinctura Sennae composita*.

ELIXIR STOMACHICUM.

v. *Tinctura Gentianae composita.*

EMPLASTRUM ADHAESIVUM.

v. *Emplastrum commune cum resina.*

EMPLASTRUM CANTHARIDUM

s. *Emplastrum vesicatorium.*

℞. Cerae flavae libras duas,
Resinae,
Axungiae porcinae, singularum libram unam,
Olei uncias octo,
Cantharidum subtiliter pulveratarum sesquilibram.

Cantharidibus protinus oleo subactis addantur aliae species ad ignem lentum fusae, continua agitatione, donec frigescant.

EMPLASTRUM CICUTAE.

℞. Aceti vini fortis uncias sexdecim,
Gummi ammoniaci uncias octo.

Soluto gummi in aceto et colato per pannum laxe textum addatur
Succi Cicutae spissi libra una.

Evaporetur ad ignem blandum, continua agitatione, donec acquirat idoneam molem.

EMPLASTRUM COMMUNE

s. *diachylon minus.*

℞. Lithargyri pulverati libras quinque,

Olei libras octo.

Cum Aquae quantitate sufficienti ebulliat, donec molem emplastri acquisiverit.

EMPLASTRUM COMMUNE GUMMATUM

s. *diachylon gummatum.*

℞. Emplastri communis libras duas,
Gummi ammoniaci colati uncias sex,
Cerae flavae uncias tres.

Fundantur et misceantur ad ignem lentum.

EMPLASTRUM COMMUNE CUM RESINA

s. *Emplastrum adhaesivum.*

℞. Emplastri communis libras tres,
Resinae uncias sex.

Fundantur et misceantur ad ignem lentum.

EMPLASTRUM DIACHYLON MINUS.

v. *Emplastrum commune.*

EMPLASTRUM DIACHYLON GUMMATUM.

v. *Emplastrum commune gummatum.*

EMPLASTRUM HYOSCYAMI

eodem modo paratur ac Emplastrum Cicutae.

EMPLASTRUM LADANI

s. *Emplastrum stomachicum.*

℞. Ladani uncias tres,

Turis unciam unam.

Liquatis lenissimo calore, remotis ab igne addantur

Olei Nucis moschatae expressi,
Balsami peruviani,
Cinnamomi optimi pulverati, singulorum uncia dimidia.

Probe misceantur. Emplastrum in vase clauso servetur.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

℞. Emplastri Cicutae uncias sexdecim,
Mercurii Terebinthina exstincti unciam unam.

Misceantur.

EMPLASTRUM SAPONIS.

℞. Emplastri communis libram unam,
Saponis albi uncias quatuor.

Liquefiant, misceantur igne leni.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

v. *Emplastrum Ladani.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

v. *Emplastrum Cantharidum.*

EMULSIO ARABICA.

℞. Emulsionis communis libram unam,
Mucilaginis Gummi arabici sesquiunciam.

Misceantur.

EMULSIO CAMFORATA.

℞. Camforae cum Spiritus vini guttis aliquot uitae drachmam dimidiam,
Mucilaginis gummi arabici drachmas tres,
Emulsionis communis uncias octo.

Camfora prius cum mucilagine misceatur, dein emulsio affundatur.

EMULSIO COMMUNIS

s. *Lac Amygdalarum.*

℞. Amygdalarum dulcium decorticatarum unciam unam,
Aquae fontanae libram unam,
Sacchari albi unciam dimidiam.

Amygdalae cum saccharo probe pistae reducantur in pultem, sensim affusa aqua, dein colentur, exprimendo per colum.

ESSENTIA ANTIMONIALIS HUXHAMI.

v. *Vinum Antimonii.*

ESSENTIA ANTISEPTICA HUXHAMI.

v. *Tinctura Chinae composita.*

EXTRACTUM ABSYNTHII

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM ACONITI.

v. *Succus spissus.*

EXTRACTUM ARNICAE

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM CATHARTICUM.

v. *Extractum Colocynthidum compositum.*

EXTRACTUM CHINAE

eodem modo paratur ac Extractum Jalappae.

EXTRACTUM CICUTAE.

v. *Succus spissus.*

EXTRACTUM COLOCYNTHIDUM COMPOSITUM

s. *Extractum catharticum.*

℞. Colocynthidum sine seminibus drachmas sex,
Spiritus ardentis libram unam.

Digerantur in vase clauso per biduum: expressa colentur: additis

Aloës succotrinae pulveratae sesquiunciam,
Scammonii pulverati unciam dimidiam.

Evaporetur, continuo pinsendo, ad idoneam molem; sub finem adde

Seminum Cardamomi minoris pulveratorum drachmam unam.

EXTRACTUM FUMARIAE.

v. *Succus spissus.*

EXTRACTUM GENTIANAE

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM GLYCYRRHIZAE.

℞. Radicis Glycyrrhizae probe concisae libram unam,
Aquae communis libras sex.

Cocta, bene expressa coletur. Liquor quieti tradatur, ut faeces fundum petant: decantatus evaporetur in balneo Mariae ad idoneam spissitudinem.

EXTRACTUM GUAIACI

eodem modo paratur ac Extractum Jalappae.

EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM HYOSCYAMI.

v. *Succus spissus.*

EXTRACTUM JALAPPAE.

℞. Radicis Jalappae pulveratae libram unam,
Alcoholis libras quatuor.

Digesta per quatriduum, liquor clarus effundatur. Residuum coquatur in aquae decem libris, donec supersint duae librae. Id decoctum coletur, evaporetur, tinctura destilletur, donec molem mellis acquirat. Tunc addatur liquor, evaporetur, agitatione continua, ad idoneam extracti durioris spissitudinem.

EXTRACTUM MARRUBII

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM OPII GUMMOSUM.

℞. Opii pulverati quantum libet.

Trito in mortario lapideo, sensim aqua frigida affundatur, donec bene coloratus sit liquor. Quieti committitur, postquam fundum petierit, liquor effunditur, residuo iterum affunditur aqua frigida, liquore postea effuso, donec coloris sit expers. Mixti liquores omnes colantur, evaporantur ad idoneam spissitudinem.

EXTRACTUM QUASSIAE

eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM RHABARBARI

eodem modo paratur ac Extractum Jalappae.

EXTRACTUM SATURNI.

v. *Acetum plumbi.*

EXTRACTUM TARAXACI.

v. *Succus spissus.*

E radice eodem modo paratur ac Extractum Glycyrrhizae.

EXTRACTUM THEBAICUM.

v. *Opium depuratum.*

FERRUM AMMONIACALE

s. *Flores salis ammoniaci martiales.*

℞. Salis ammoniaci sicci pulverati uncias sexdecim,

Ferri limati a rubigine liberi unciam unam.

Mixta et trita immittantur lagenae sublimationi aptae ad dimidiam partem plenae, aut vasi fictili vitrea massa haud obducto, cui alterum obverso situ ita superponitur, ut iuncturae luto probe claudantur. Ignis adeo fortis accenditur, ut vasis fundus candescat. Post quinque sive sex horas flores sublimati invenientur. Pluma pennae separentur, serventur in vase clauso.

FERRUM PRAEPARATUM

s. *Crocus ferri* s. *Rubigo.*

Ferrum limatum aëri expositum aqua humectetur, donec omne in rubiginem versum sit. Pistum cribretur et servetur.

FERRUM TARTARISATUM

s. *Mars solubilis* s. *Tartarus martialis solubilis.*

℞. Ferri limati a rubigine liberi libram unam,
Crystallorum Tartari pulveratarum libras duas.

Mixta cum aqua destillata in massam spissam reducantur, quae in vase fictili amplo per octo dies aëri exponitur. Siccata dein in balneo arenae in pulverem subtilem vertatur et servetur.

FERRUM VITRIOLATUM

s. *Sal martis* s. *Sal ferri* s. *Vitriolum ferri.*

℞. Ferri limati,
Olei vitrioli, singulorum uncias octo,

Aquae destillatae libras tres.

Mittantur in vas vitreum. Fervore finito, arenae calidae per aliquod tempus imponatur. Tum filtrata massa et evaporata crystalli concrescent.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

v. *Ferrum ammoniacale.*

FLORES ZINCI.

v. *Calx zinci.*

GELATINA CORNU CERVI.

℞. Cornu cervi rasi lavati unciam dimidiam,
Aquae fontanae libras septem.

Ebulliat igne leni in vase clauso, donec guttulae aliquot extractae, postquam refrixerint, gelatinae molem ostendant. Coletur, dum calet, addatur

Sacchari albi pulverati uncias duas,
Vini albi generosi,
Succi Limoniorum acidi, singulorum unciam dimidiam.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

℞. Lichenis islandici uncias tres,
Aquae libras quatuor.

Ebulliat, donec dimidia pars supersit, exprimendo coletur, evaporetur ad gelatinae molem.

GELATINA SAGO.

℞. Sago pulverati drachmam unam,
Aquae communis uncias octo.

Ebulliat ad iguem lenem, continua agitatione, ad idoneam molem, addatur sacchari q. s. ad gratum saporem.

GELATINA SALEP

eodem modo paratur ac Gelatina Sago.

GUMMI AMMONIACUM DEPURATUM.

℞. Gummi ammoniaci libras duas.

Missum in sacculum e panno laxe texto aqua fervida molliatur. Appendatur sacculus in vase fictili, ita ut fundum vasis haud attingat. Clausum vas per aliquod tempus balneo Mariae committitur, ut gummi liquefactum per colum traiici possit, relictis sordibus.

Eodem modo depurantur et Gummi-resinae omnes.

INFUSUM AMARUM.

v. *Infusum Gentianae compositum.*

INFUSUM CHINAE FRIGIDUM.

℞. Chinae flavae pulveratae unciam unam,
Aquae fontanae sesquilibram.

Macerentur per nychthemeron in lagena, saepius agitando, dein coletur per chartam.

INFUSUM GENTIANAE COMPOSITUM

s. *Infusum amarum.*

℞. Radicis Gentianae concisae unciam dimidiam,
Flavedinis corticis Aurantiorum drachmas duas,
Aquae fervidae libram unam.

Digeratur per horae spatium, post liquor coletur.

INFUSUM QUASSIAE FRIGIDUM

eodem modo paratur ac Infusum Chinae, Ligni Quassiae rasi drachmis tribus infusa aquae libra una.

INFUSUM RHABARBARI.

℞. Rhabarbari pulverati unciam dimidiam,
Aquae fervidae uncias octo.
Digeratur per horas duas: colato adde
Spiritus Cinnamomi unciam unam.

INFUSUM SENNAE SIMPLEX.

℞. Foliorum Sennae sesquiunciam,
Anisi stellati obiter pulverati drachmam unam,
Aquae fervidae uncias sexdecim.
Digerantur per horam unam in vase clauso, postquam refrixerint, colentur.

INFUSUM SENNAE TARTARISATUM

s. *Aqua laxativa* s. *viennensis.*

℞. Foliorum Sennae drachmas tres,
Cremoris Tartari pulverati drachmam unam,
Anisi stellati pulverati drachmam dimidiam,
Aquae fervidae uncias sex.
Digerantur per horam: colatis adde
Mannae electae uncias duas.
Solutio ad lenem ignem facta defaecetur, iterumque coletur.

INFUSUM TAMARINDORUM COMPOSITUM.

℞. Pulpae Tamarindorum,

Mannae electae, singularum sesquiunciam,
Flavedinis Corticis Aurantiorum drachmas duas,
Aquae fervidae uncias octo.

Missa in lagenam, saepius agitetur, donec pulpa mannaque solutae sint, tunc coletur.

IULAPIA.

v. *Mixturae.*

KERMES MINERALE.

v. *Sulfur praecipitatum Antimonii.*

LAC AMMONIACUM.

℞. Gummi Ammoniaci depurati drachmas duas,
Aquae destillatae libram dimidiam.

Exacte triturentur, donec gummi solutum fit.

LAC AMYGDALARUM.

v. *Emulsio communis.*

LAPIS CALAMINARIS PRAEPARATUS.

Eadem procedendi ratio, qua Antimonium praeparatur, calcinato protinus lapide.

LAPIS INFERNALIS.

v. *Nitrum argenti.*

LAPIS OPHTHALMICUS.

v. *Vitriolum camforatum.*

LAUDANUM LIQUIDUM.

v. *Tinctura Opii.*

LAUDANUM OPIATUM.

v. *Opium depuratum.*

LINIMENTUM AMMONIACUM s. VOLATILE.

℞. Alcali ammoniaci aquosi unciam dimidiam,
Olei communis sesquiunciam,
Mixta in vase clauso saepius agitentur.

LINIMENTUM ANODYNUM.

v. *Linimentum Saponis cum Opio.*

LINIMENTUM CAMFORATUM.

℞. Camforae uncias duas,
Alcali ammoniaci aquosi uncias sex,
Spiritus Lavandulae uncias sexdecim.

Mixtis alcali et spiritu, destillentur unciae sexdecim ad ignem lenem: in ea mixtura autem solvatur Camfora.

LINIMENTUM OPIATUM.

v. *Linimentum Saponis cum opio.*

LINIMENTUM SAPONIS

s. *Linimentum saponaceum* s. *Balsamum saponaceum.*

℞. Saponis albi uncias tres,
Camforae unciam unam,
Spiritus vini uncias sexdecim.

Maceretur sapo in spiritu vini, donec solutus sit: quo facto Camfora addatur.

LINIMENTUM SAPONIS CUM OPIO

s. Linimentum anodynum s. Linimentum opiatum s. Balsamum anodynum.

Fit, additis ad Linimentum saponis simplex drachmis sex Opii depurati, maceratisque simul cum sapone.

LINIMENTUM VOLATILE.

v. Linimentum ammoniacum.

LIQUOR AMMONIACALIS CUM ACETO

s. Spiritus Mindereri.

℞. Alcali ammoniaci volatilis unciam unam,
Aceti vini quantum sufficit, ut saturetur alcali.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS.

v. Acidum vitriolicum alcoholisatum.

LIQUOR MYRRHAE

s. Oleum Myrrhae per deliquium.

℞. Myrrhae pulveratae drachmas duas,
Hydromeli unciam dimidiam.
Exacte triturentur, ut fiat solutio.

LIQUOR SALIS TARTARI.

v. Lixivium Alcali vegetabilis.

LIXIVIUM ALCALI VEGETABILIS

s. *Liquor salis Tartari* s. *Oleum Tartari per deliquium.*

℞. Alcali vegetabilis unciam unam,
Aquae destillatae uncias tres.
Solutum filtretur.

LIXIVIVM CAUSTICUM.

v. *Lixivium Sodae crudae cum Calce.*

LIXIVIUM SODAE CRUDAE CUM CALCE

s. *Lixivium causticum.*

℞. Calcis vivae libras duas,
Sodae crudae libras quatuor,
Aquae libras triginta duas.

Ferveant per aliquod tempus in vase fictili vitrea massa haud obducto. Colatus liquor per chartam emporeticam, iterum igni admotus evaporetur, donec eius uncia una cum tribus drachmis impleat vas capax unciae dimidiae aquae purae.

N. Omnia instrumenta, quibus utimur ad hanc praeparationem, haud metallica sunto, sed lignea, fictilia aut vitrea.

MAGNESIA ALBA

s. *Magnesia Epsomensis.*

℞. Salis amari,
Alcali vegetabilis, singulorum libras duas.

Uterque sal solvatur seorsim in dupla aquae fervidae quantitate. Colati liquores misceantur, additis aquae fervidae libris sexdecim. Ebulliat etiamnum per aliquod tempus, agitando saepe spathula lignea. Remota ab igne quieti tradantur, donec calor decreverit. Coletur calida mixtio per pannum linteum: terra autem alba, in colo superstes, lavetur aqua calida, donec saporem omnem amiserit. Siccata servetur.

MAGNESIA ALBA CALCINATA.

Magnesia ollae immissa ponitur ad ignem violentum, et per duas horas candens, post vero in clausis vasis vitreis servatur.

MAGNESIA EPSOMENSIS.

v. *Magnesia alba.*

MARS SOLUBILIS.

v. *Ferrum tartarisatum.*

MASSA CAUSTICA.

v. *Cataplasma Cantharidum.*

MEL ROSATUM.

℞. Petalorum siccorum Rosae rubrae libram dimidiam,
Aquae fervidae libras tres.
Macerata per duodecim horas colentur, adiunctis
Mellis puri libris sex.

MERCURIUS ACETATUS

s. *Sal Mercurii acetosus.*

℞. Mercurii depurati libram unam,
Acidi nitrosi diluti libras duas.

Digeratur per nychthemeron lagenae vitreae immissum in balneo arenae. Calx mercurii praecipitetur ope lixivii alcali vegetabilis, quantum sufficit. Quod fundum petiit, lavetur aqua multa, siccetur ad calorem mediocrem. Quo facto

℞. Calcis huius Mercurii libram unam,
Aceti vini quantum sufficit ad solvendam calcem.

Solutio in vase vitreo facta coletur per chartam emporeticam. Evaporetur, donec pellicula appareat, et crystalli concrescant: quae separatae et siccatae in vase clauso servandae sunt.

MERCURIUS DEPURATUS.

Mercurii quantum libet collocetur in cucurbita ferrea aut fictili, ad ventrem usque operienda in balneo arenae, rostro ultra dimidiam partem immerso in excipulum aqua plenum. Destilletur, donec nullus mercurius amplius exierit.

MERCURIUS DULCIS.

v. *Calomelanos.*

MERCURIUS MURIATUS

s. *Mercurius sublimatus corrosivus.*

℞. Mercurii depurati,

Olei vitrioli, singulorum libras duas.

Mixta in vase vitreo idoneo ac in balneo arenae effervescant, donec massa penitus siccuerit. Tum admisceatur Salis marini sicci pulverati libris tribus et dimidia in mortario vitreo. Ea mixtio immissa in lagenam sublimatoriam balneo arenae immersam, sublimetur, aucto sensim igne. Quod sublimatum est, separetur a scoriis et servetur.

MERCURIUS MURIATUS PRAECIPITATUS.

℞. Mercurii depurati uncias octo, aut paullo plus,
Acidi nitrosi diluti uncias octo.

Misceantur in lagena collo alto, leviter clausa, vaporibus vitatis. Hora elapsa collocetur lagena in balneo arenae, aucto sensim igne per quatuor horas, donec versus finem huius temporis ferveat leniter per horae quadrantem, agitando vas aliquoties per idem tempus. Tunc infundantur aquae fervidae librae octo, in quibus solutae sunt Salis marini unciae quatuor cum dimidia, quantocius omnia miscendo. Quieti committatur: postquam fundum petierit, affundatur liquor. Pulvis superstes iterum iterumque aqua eluatur fervida, ut demum saporem omnem amittat. Siccatus servetur.

Ut saturetur acidum penitus, expedit, mercurii paullo plus addere, quam sufficit ad acidum solvendum.

MERCURIUS NITRATUS RUBER

s. *Praecipitatum rubrum* s. *Pulvis Ioannis* s. *Pulvis Ioannis de Vigo* s. *Pulvis Vigonis*.

℞. Mercurii depurati,

Acidi Nitri, singulorum libram unam,
Acidi muriatici drachmam unam.

Mixta in vase vitreo, ut mercurius solvatur, collocentur in balneo arenae. Ignis angeatur, donec crystalli concreverint, seu squamae ruberrimae micantes. Protinus ut is color apparuerit, semoventur ab igne, quoniam longior mora splendorem adimit, quo partim praestantia medicamenti aestimatur.

MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS

s. Calx alba Mercurii.

℞. Mercurii muriati,
Salis ammoniaci, singulorum libram dimidiam.

Solvatur protinus sal ammoniacus, dein mercurius muriatus in aquae destillatae quantum sufficit. Solutione absoluta, addatur Lixivii alcali vegetabilis, quantum poscitur, ut pulvis albus omnino fundum petat, qui aqua destillata elutus, donec saporem amiserit omnem, siccatus servetur.

MERCURIUS PRAECIPITATUS FLAVUS.

v. *Calx Mercurii vitriolata.*

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.

v. *Mercurius nitratus ruber.*

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

v. *Mercurius muriatus.*

MERCURIUS SUBLIMATUS DULCIS.

v. *Calomelanos.*

MIXTURA CAMFORATA

s. Iulapium Camforae.

℞. Camforae pulveratae ope guttularum aliquot Alcoholis drachmam unam,
Mucilaginis Gummi arabici,
Sacchari puri singularum unciam dimidiam.
Probe trituratis adde
Aquae fervidae uncias sexdecim.

MIXTURA CAMFORATA CUM ACETO

s. Iulapium Camforae acetosum.

Fit, addita mixturae praecedenti, aquae loco, eadem copia aceti vini.

MIXTURA MERCURII GUMMOSA

s. Solutio Mercurii gummosa Plenckii.

℞. Mercurii depurati drachmam unam,
Mucilaginis Tragacanthae unciam dimidiam,
Syrupi communis unciam unam,
Aquae destillatae uncias octo.

Teratur mercurius cum mucilagine in mortario vitreo aut lapideo, donec globuli evanuerint: post addatur syrupus, novissime aqua.

MIXTURA MOSCHATA

s. Iulapium moschatum.

℞. Moschi scrupulos duos,

Sacchari albi,
Gummi arabici pulverati, singulorum drachmam unam,
Aquae destillatae Rosarum uncias sex.

Teratur moschus cum saccharo, dein cum gummi, postremo sensim affundatur aqua.

MIXTURA SALINA COMPOSITA
s. *Mixtura salina Macbridii.*

℞. Succi Limoniorum acidorum unciam unam,
Alcali vegetabilis quantum sufficit ad saturandum,
Aquae Menthae uncias septem,
Antimonii tartarisati granum unicum,
Syrupi simplicis unciam dimidiam.

Misceantur.

MIXTURA SALINA SIMPLEX.

℞. Alcali vegetabilis drachmam unam,
Succi Limoniorum acidorum quantum sufficit ad saturandum,
Aquae fontanae uncias quinque,
Syrupi simplicis unciam dimidiam.

Misceantur.

MUCILAGO CYDONIORUM.

℞. Seminum Cydoniorum drachmas duas,
Aquae uncias sex.

Ebulliant leniter, donec aqua viscida fuerit: tum coletur expressus per pannum linteum liquor.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

℞. Gummi arabici pulverati uncias quatuor,

Aquae fervidae uncias sex.

Tritum coletur exprimendo.

MUCILAGO TRAGACANTHAE.

℞. Tragacanthae pulveratae unciam unam.

Macerentur per nychthemeron in Aquae unciis octo. Probe triturata coletur, per pannum laxe textum fortiter exprimendo.

NITRUM ARGENTI

s. Causticum lunare s. Lapis infernalis.

℞. Argenti puri limati uncias quatuor,

Acidi nitrosi diluti uncias octo,

Aquae destillatae uncias quatuor.

Solvatur in lagena, igne leni. Evaporetur in vase ad id apto ad siccitatem. Sicca substantia fundatur in olla, fusa in formas ferreas calidas seboque unctas effundatur: dein servetur in vasis vitreis probe clausis.

NITRUM DEPURATUM.

℞. Nitri vulgaris libras duas.

Solvatur in Aquae quantum sufficit, coletur, ut crystalli concrescant.

N. Eodem modo et alii sales neutri depurantur.

OLEUM AMYGDALARUM.

Sumatur Amygdalarum haud tostarum quantum libet: fricentur intra pannum asperum, ut pulvis ruber secedat. Pinsentur in mortario ferreo aut lapideo, puls mittatur in pannum textu valido, quo facto torculari frigidae exprimantur.

OLEUM BACCARUM IUNIPERI.

v. *Oleum Cinnamomi.*

OLEUM BACCARUM LAURI.

v. *Oleum spissatum Cacao.*

OLEUM CACAO SPISSATUM.

s. *Butyrum Cacao.*

Torreantur nuclei Cacao tot, quot lubet, ut cortices facilius secedant. Pinsantur nuclei in mortario ferreo, pistillo ferreo, calido utroque, ut in pultem convertantur aut pastam. Ferveat haec per dimidiam horam in octupla ponderis portione aquae: postquam refrixerit, cochleari detrahatur substantia oleosà innatans. Residuum iterum iterumque ebulliat cum aqua recenti, oleumque innatans simili modo separetur.

Ut oleum depuretur et ab omni humore adiuncto liberetur, in balneo Mariae liquefactum coletur effundendum in lagenam elongatam angustamque, immersam aquae fere fervidae, ut oleum per aliquod tempus liquidum sinat sordes et humorem fundum petere. Postquam refrixit, lagena frangatur, oleumque spissatum, separatum a residuo servetur.

Eodem modo, licet omittatur tostio, *Oleum baccarum Lauri* paratur.

OLEUM CAMFORATUM.

℞. Olei vulgaris uncias duas,

Camforae unciam dimidiam,
Trita misceantur.

OLEUM CARYOPHYLLORUM

eodem modo paratur ac

OLEUM CINNAMOMI.

℞. Cinnamomi optimi pulverati libras duas,
Aquae fontanae quantum sufficit, ut Cinnamomum possit in ea natare.

Maceretur per nychthemeron, destilletur, donec nullum oleum amplius eliciatur, quod idoneo modo separatur.

OLEUM LAVANDULAE

eodem modo paratur ac Oleum Cinnamomi.

OLEUM LINI.

℞. Seminum Lini libras duas.

Pinsantur in mortario lapideo, ut in pultem abeant. Haec pandatur super cribrum, crucibulo magno obtectum, quod imponatur vasi aeque amplo, aqua fervida semiplenum, quae per quadrantem horae eo caloris gradu servetur, ut puls bene mollescat. Haec panno obvoluta inter duas laminas ferreas mediocriter calidas ponatur, ut oleum exprimatur.

OLEUM MENTHAE

eodem modo paratur ac Oleum Cinnamomi.

OLEUM MYRRHAE PER DELIQUIUM.

v. *Liquor Myrrhae.*

OLEUM NUCIS MOSCHATAE

eodem modo conficitur ac Oleum Lini, nisi quod Nux radatur, priusquam pinsitur.

OLEUM RICINI

eodem modo paratur ac Oleum Amygdalarum, cortice exteriori seminum prius detracto, ut cuticula alba parenchymati proxima sola supersit.

OLEUM SUCCINI.

℞. Succini pulverati,
Arenae purae et probe elutae partes aequales.

Mixta mittantur in cucurbitam vitream, quae ad medium ventrem impleatur. Admoto excipulo amplo, destilletur balneo arenae, aucto paullatim igne, initio leni. Protinus destilletur liquor acidus, dein oleum, postremo sublimetur sal oleo tinctus. Et oleum et sal seorsim eliciantur.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

℞. Olei Succini libram unam.
Ter destilletur.

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

v. *Lixivium Alcali vegetabilis.*

OLEUM TEREBINTHINAE

s. *Spiritus Terebinthinae.*

℞. Terebinthinae electae libras quinque,
Aquae libras sex.

Destilletur: postquam refrixerit, oleum separetur.

OPIUM DEPURATUM

s. *Extractum Thebaicum* s. *Laudanum opiatum.*

℞. Opii concisi et comminuti libram unam,
Spiritus vini libras duodecim.

Digeratur in vase clauso ad ignem lenem, succusso vase saepius, ut opium solutum servetur. Coletur per chartam emporeticam, tinctura destilletur ad idoneam extracti molem.

N. Opium depuratum partim durum esse debet, pulveratuque facile, partim mollius, ut pilulae parari possint.

OXYMEL AERUGINIS

s. *Unguentum aegyptiacum.*

℞. Aeruginis pulveratae unciam unam,
Aceti vini uncias septem.

Soluta per pannum colentur, dein additis
Mellis despumati unciis quatuordecim,
ferveant ad idoneam molem.

OXYMEL SCILLITICUM.

℞. Aceti scillitici libras duas,
Mellis despumati libras tres.

Coquantur in vase apto ad syrupi molem.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis despumati libras duas,

Aceti vini libram unam.

Ebulliant in vase apto ad idoneam molem.

PILULAE AETHIOPICAE.

℞. Aethiopis antimonialis unciam unam,
Extracti Guaiaci pulverati unciam dimidiam.

Cum Mellis q. s. formetur Massa pilularum.

PILULAE ALOËTICAE.

℞. Aloës succotrinae pulveratae unciam unam,
Extracti Gentianae unciam dimidiam,
Saponis hispanici drachmas duas.

Teratur protinus Aloë cum Sapone: addatur dein extractum, tunc cum Syrupi simplicis q. s. formetur Massa pilularum.

PILULAE ALTERANTES PLUMBERII

s. *Pilulae Calomelanos antimoniales.*

℞. Calomelanos,
Sulphuris praecipitati Antimonii, singulorum drachmas sex,
Extracti Glycyrrhizae unciam dimidiam.

Sulfur et Calomelanos triturentur diu in mortario vitreo vel lapideo, donec pulvis evadat subtilissimus. Tunc extracto adiuncto contundatur hactenus, ut pulvis aequaliter distribuatur. Tum ope Mucilaginis Gummi arabici q. s. fiat Massa pilularum.

PILULAE COCCHII

sunt Extractum Colocynthidum compositum, quod in pilulas formatur, dum poscuntur.

PILULAE COERULEAE.

v. *Pilulae Cupri ammoniaci.*

PILULAE COMMUNES

s. *Pilulae Ruffi.*

℞. Aloës succotrinae uncias duas,
Myrrhae,
Croci, singulorum unciam unam.

Pulverata omnia misceantur, et cum Syrupi simplicis q. s. formetur Massa pilularum.

PILULAE CUPRI AMMONIACI

s. *Pilulae coeruleae.*

℞. Cupri ammoniaci grana sexdecim,
Medullae panis scrupulos quatuor,
Alcali ammoniaci aquosi quantum sufficit, ut fiat Massa, in triginta duas pilulas aequales dividenda.

PILULAE FERRI COMPOSITAE.

℞. Ferri praeparati unciam unam,
Myrrhae pulveratae unciam dimidiam,
Pulveris aromatici drachmas duas.

Misceantur, et cum Syrupi communis q. s. formetur Massa pilularum.

PILULAE GUMMOSAE.

℞. Asae foetidae,
Galbani,

Myrrhae, singulorum unciam unam.

Misceantur et cum Syrupo simplici formetur Massa pilularum.

PILULAE MERCURIALES.

℞. Mercurii depurati,

Extracti mollis Glycyrrhizae, singulorum drachmas duas.

Triturentur, donec globuli extincti fuerint: quo facto addatur

Glycyrrhizae pulveratae drachma una.

Formetur massa.

PILULAE MERCURII MURIATI s. SUBLIMATI CORROSIVI.

℞. Mercurii muriati,

Salis ammoniaci depurati, singulorum scrupulum unum,

Aquae destillatae quantum sufficit, ut sales solvantur,

Radicis Althaeae pulveratae scrupulos sedecim,

Mellis drachmas duas.

Misce, fiant pilulae, ponderis granorum trium.

PILULAE RUFFI.

v. *Pilulae communes.*

PILULAE SCILLITICAE.

℞. Scillae maritimae subtiliter pulveratae,

Gummi ammoniaci,

Cardamomi minoris pulverati, singulorum unciam dimidiam.

Misce, fiat cum Syrupi simplicis q. s. Massa pilularum.

PILULAE SUBLIMATI CORROSIVI.

v. *Pilulae Mercurii muriati.*

POMATUM ALBISSIMUM.

℞. Cerae albae,
Spermatis Ceti, singulorum drachmam dimidiam;
Olei Amygdalarum dulcium unciam unam.

Liquefiant in vase fictili vitrea massa obducto, atque in balneo Mariae aut cineribus calidis: liquata infundantur mortario lapideo, agitando continuo ope pistilli lignei, ut grumi omnes evanescant. Bene subactis adde

Aquae destillatae Rosarum drachmas sex, totumque trituretur assiduo tantisper, donec speciem cremoris lactis ferat.

POMATUM MERCURIALE.

v. *Unguentum mercuriale.*

POMATUM SATURNI.

v. *Ceratum Saturni.*

PRAECIPITATUM ALBUM.

v. *Mercurius praecipitatus albus.*

PRAECIPITATUM FLAVUM.

v. *Calx Mercurii vitriolata.*

PRAECIPITATUM RUBRUM.

v. *Mercurius nitratus ruber.*

PULPA FISTULAE

eodem more conficitur ac Pulpa Prunorum, pulsatis prius leguminibus ad suturam, ut eo melius semina et pulpa eximantur. Soluta haec in aqua fervida coletur et evaporetur.

PULPA PRUNORUM.

℞. Prùnorum siccatorum quantum libet.

Ebulliant aqua, donec ferbuerint. Nuclei extracti comminuti traiiciantur per cribrum capillaceum, iterumque hoc fiat. Evaporetur balneo Mariae, ad molem mellis.

PULPA TAMARINDORUM

eodem modo paratur.

PULVIS ALUMINIS CUM KINO

s. *Pulvis stypticus.*

℞. Aluminis crudi sesquiunciam,
Kino drachmas tres.

Mixta exacte triturentur.

PULVIS ANTIMONIALIS

s. *Pulvis Jamesii.*

℞. Antimonii obiter pulverati,
Cornu Cervi rasi singulorum libras duas.

Mixta ponantur in vas amplum ferreum, candens: continuo agitentur, donec acquirant colorem cinereo-fuscum. Postquam refrixerit massa pulve-

retur ac coniiciatur in ollam opertam alia olla inversa eiusdem ambitus, in cuius fundo foramen parvum sit, utriusque iuncturae probe luto obducantur. Igni admota, is hactenus sensim augeatur, ut utraque olla candescat, quo gradu ignis servetur per horas duas. Materia frigefacta in pulverem subtilem vertatur.

N. Pulvis curiose paratus, est albus.

PULVIS ARI COMPOSITUS.

℞. Radicis Ari recens siccatae drachmas duas,
Radicis Calami aromatici drachmas tres,
Alcali vegetabilis vitriolati scrupulum unum.
Pulverata et trita misceantur.

PULVIS AROMATICUS.

℞. Pichurim,
Seminum Cardamomi minoris, singulorum unciam unam,
Cinnamomi electi unciam dimidiam.
Pulverata misceantur.

PULVIS CERUSSAE COMPOSITUS

s. Trochisci albi Rhazis.

℞. Cerussae uncias quinque,
Tragacanthae uncias duas cum dimidia.
Pulverata misceantur.

PULVIS CORNACCHINI.

v. Pulvis Scammonii compositus.

PULVIS DOVERI.

v. *Pulvis Ipecacuanhae cum Opio.*

PULVIS JAMESII.

v. *Pulvis antimonialis.*

PULVIS IOANNIS DE VIGO.

v. *Mercurius nitratus ruber.*

PULVIS IPECACUANHAE CUM OPIO

s. *Pulvis Doveri* s. *sudoriferus.*

℞. Ipecacuanhae,
Opii puri duri singulorum drachmam unam,
Alcali vegetabilis vitriolati unciam unam.
Pulverata seorsim, misceantur, curiosissime terantur.

PULVIS MYRRHAE COMPOSITUS

s. *Trochisci de Myrrha.*

℞. Myrrhae,
Sabinae,
Rutae siccarum,
Castorei, singolorum unciam unam.
Pulverata misceantur.

PULVIS SCAMMONII COMPOSITUS

s. *Pulvis Cornacchini reformatus.*

℞. Scammonii,

Crystallorum Tartari, singulorum uncias duas.
Mixta curiose triturentur.

PULVIS STYPTICUS.

v. *Pulvis Aluminis cum Kino.*

PULVIS SUDORIFERUS.

v. *Pulvis Ipecacuanhae cum Opio.*

PULVIS TRAGACANTHAE COMPOSITUS.

℞. Tragacanthae,
Gummi arabici,
Amyli, singulorum sesquiunciam,
Sacchari albi uncias tres.
Pulverata mixta triturentur.

PULVIS VIGONIS.

v. *Mercurius nitratus ruber.*

RESINA IALAPPAE.

℞. Radicis Ialappae pulveratae libram unam,
Alcoholis quantum sufficit, ut pulvis obtegatur.

Macerentur per triduum in lagena clausa. Coletur per chartam, in residuum denuo stilletur Alcohol, maceretur et coletur: repetatur tantisper, dum Alcohol tingitur. Tincturae mixtae destillentur, donec dimidia pars superfuerit. Residuo aqua frigida affunditur, ut resina praecipitetur, quae siccata servetur.

RHABARBARUM TOSTUM.

Radix Rhabarbari pulverata in vase fictili, vi-

trea massa haud obducto, amplo et plano, aut super laminam ferream torreatur ad ignem lenem, continuo agitando, donec colorem fuscum adipiscatur.

ROOB MORORUM.

℞. Succi Mororum quantum libet.

Evaporetur ad ignem lenem in vase fictili, vitrea massa haud obducto, donec in molem mellis abierit.

SACCHARUM SATURNI.

v. *Sal Plumbi.*

SAL AMMONIACUS DEPURATUS.

v. *Nitrum depuratum.*

SAL CATHARTICUS.

v. *Alcali minerale vitriolatum.*

SAL DIURETICUS.

v. *Alcali vegetabile cum aceto.*

SAL FERRI.

v. *Ferrum vitriolatum.*

SAL FERRI TARTARISATUS.

v. *Ferrum tartarisatum.*

SAL GLAUBERI.

v. *Alcali minerale vitriolatum.*

SAL MARTIS.

v. *Ferrum vitriolatum.*

SAL MERCURII ACETOSI.

v. *Mercurius acetatus.*

SAL PLUMBI

s. *Sal Saturni* s. *Saccharum Saturni.*

℞. Cerussae libram unam,
Aceti vini destillati libras quindecim.

Ebulliat, donec acetum dulcescat. Colatum, evaporatum quieti tradatur, ut crystalli formentur.

SAL POLYCHRESTUS.

v. *Alcali vegetabile vitriolatum.*

SAL SATURNI.

v. *Sal Plumbi.*

SAL SUCCINI.

v. *Oleum Succini.*

SAL TARTARI.

v. *Alcali vegetabile.*

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI.

v. *Alcali ammoniacum volatile.*

SAPO ACIDUS.

℞. Olei puri uncias quatuor,

Olei vitrioli uncias duas cum dimidia.

Oleo prius in mortarium vitreum infuso superstillatur paullatim acidum: cessando parumper post singula stillicidia, continuo agitetur ope pistilli vitrei. Mixtione absoluta, stet in digestione per nychthemeron, ut connubium eo arctius fiat.

N. Acidi excessus moderandus aut prohibendus est duplici modo: 1. sapone ad aërem humidum collocato, ut acidum solvatur in liquore limpido, in saponis superficie natante; 2. aut aqua destillata fervente in saponem coniecta, ut hic liquefactus superficiem aquae petat. Tunc liquor frigefactus decantatur. Quodsi forte etiamnum acidum liberum superfuerit, repetitur ea operatio.

SAPO ALCALINUS s. HISPANICUS.

℞. Lixivii Sodae crudae cum calce libram unam,
Olei Olivarum vel Amygdalarum libras duas.

Mixta in vase apto agitentur spathula lignea, donec albescat mixtio. Quieti committitur per octo dies, ut arctissime iungantur.

SEBUM PRAEPARATUM.

Sebum concisum ad ignem lenem liquefiat, tum coletur, ut pelliculae secedant.

N. Eodem modo depurantur alii adipes aut axungiae animales.

SERUM LACTIS ALUMINOSUM.

℞. Lactis caprini aut vaccini libras duas,
Aluminis crudi pulverati unciam dimidiam.

Ebulliat, ut lac coaguletur, tum coletur.

SERUM LACTIS CLARIFICATUM.

℞. Lactis caprini aut vaccini libras duas.

In vase argenteo aut fictili, massa vitrea haud obducto, calefiat in cineribus calidis. Addantur dein coaguli vitellini grana octodecim soluta in aquae unciis duabus. Spathula eburnea agitentur, ut bene misceantur. Cum lac coagulatum fuerit, coletur: cuius liquoris colati unciis quatuor, postquam refrixerint, addatur

Cremoris Tartari grana quindecim,
Albumen ovi unius.

Probe agitata admisceantur residuo, omne autem ebulliat, donec limpidus fuerit liquor, post coletur per pannum.

SERUM LACTIS CUM SINAPI.

℞. Lactis caprini aut vaccini libras duas,
Seminum Sinapis pistorum unciam unam.

Ebulliat, donec coïverit, tum coletur.

SERUM LACTIS VINOSUM.

℞. Seri lactis clarificati libras duas,
Vini albi generosi libram dimidiam.

Misceantur.

SOLUTIO MERCURII GUMMOSA.

v. *Mixtura.*

SPIRITUS AMMONIACI COMPOSITUS

s. *Spiritus volatilis aromaticus* s. *Spiritus oleosus aromaticus Sylvii.*

℞. Alcali volatilis fluidi libras duas,
Olei essentialis corticis Limoniorum,
Olei essentialis nucis moschatae, singulorum drachmas duas.
Misceantur.

SPIRITUS AMMONIACI CUM SUCCINO

s. *Aqua Lucae.*

℞. Alcoholis unciam unam,
Alcali volatilis fluidi uncias quatuor,
Olei Succini rectificati scrupulum unum,
Saponis hispanici duri grana decem.

Macerentur et sapo et oleum in alcohole, donec soluta sint. Tum alcali addatur, misceantur agitata in vase clauso.

SPIRITUS CINNAMOMI

s. *Aqua Cinnamomi spirituosa.*

℞. Cinnamomi optimi concisi libram unam,
Aquae ardentis libras decem.

Maceretur per biduum in vase clauso, addantur aquae fontanae librae quatuor, destillentur librae decem.

SPIRITUS COCHLEARIAE.

℞. Foliorum recentium Cochleariae libras sex,

Alcoholis libras tres.

Macerentur per duodecim horas, destillentur librae tres.

SPIRITUS LAVANDULAE.

℞. Summitatum floridarum Lavandulae sesquilibram,
Spiritus vini aquosi libras decem.

Macerentur per duodecim horas, destillentur librae quinque.

SPIRITUS LAVANDULAE COMPOSITUS.

v. *Tinctura Lavandulae composita.*

SPIRITUS MELISSAE

eodem modo paratur ac Spiritus Lavandulae.

SPIRITUS MELISSAE COMPOSITUS

s. *Aqua Melissae.*

℞. Foliorum recentium Melissae libras duas,
Flavedinis corticis Limoniorum uncias quatuor,
Cinnamomi electi pulverati uncias duas,
Nucis moschatae rasae unciam unam,
Caryophyllorum aromaticorum pistorum drachmas duas,
Spiritus vini libras decem.

Macerentur in vase clauso per triduum, tum destillentur librae quinque.

SPIRITUS FOLIORUM SICCORUM MENTHAE CRISPAE ET PIPERITAE

eodem modo paratur ac Spiritus Lavandulae.

SPIRITUS MINDERERI.

v. *Liquor ammoniacalis cum Aceto vini.*

SPIRITUS NITRI DULCIS.

v. *Acidum nitrosum alcoholisatum.*

SPIRITUS NITRI FUMANS.

v. *Acidum nitrosum.*

SPIRITUS NITRI TENUIS.

v. *Acidum nitrosum dilutum.*

SPIRITUS OLEOSUS AROMATICUS.

v. *Spiritus Ammoniaci compositus.*

SPIRITUS RORISMARINI

s. *Aquae Reginae Hungariae.*

℞. Summitatum florentium Rorismarini libras duas et dimidiam,
Spiritus vini aquosi libras decem.

Macerentur per duodecim horas, tum destillentur librae quinque.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

v. *Alcali ammoniacum aquosum.*

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICI.

v. *Alcali volatile fluidum.*

SPIRITUS SALIS MARINI.

v. *Acidum marinum.*

SPIRITUS TEREBINTHINAE.

v. *Oleum Terebinthinae.*

SPIRITUS VINI CAMFORATI.

℞. Camforae unciam unam,
Spiritus vini libram unam,
Mixta triturentur, donec solvatur Camfora.
N. Maior copia solvatur, si expedire videtur.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

v. *Alcohol.*

SPIRITUS VITRIOLI.

v. *Acidum Vitrioli dilutum.*

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

v. *Acidum Vitrioli alcoholisatum.*

SPIRITUS VOLATILIS AROMATICUS.

v. *Spiritus Ammoniaci compositus.*

SPONGIA CALCINATA s. USTA.

A sordibus pura et concisa comburatur in vase ferreo clauso, donec nigra fiat et fragilis: tum pulverata servetur.

SPONGIA CERATA s. PRAEPARATA.

Spongia eluta et a lapillis concharumque frustulis purgata concidatur in ligulas planas trium aut quatuor linearum crassitie. Mergatur in ceram albam aut flavam liquidam, tunc torculari

supponantur, donec cera refrixerint, eoque modo serventur.

SUCCUS ACONITI SPISSATUS

eodem modo paratur, quo Succus Fumariae.

SUCCUS CICUTAE SPISSATUS

s. *Extractum Cicutae Störckii.*

℞. Succi foliorum Cicutae quantum libet.

Evaporetur igne leni ad mellis molem. Refrigerato addatur, continua agitatione, foliorum eiusdem plantae pulveratorum quinta ponderis succi pars. Caveatur, ne evaporatio ulterius procedat, quam ut pars supersit, quoniam pulveris copia congruere debet.

SUCCUS COCHLEARIAE COMPOSITUS

s. *Succus antiscorbuticus.*

℞. Succi Cochleariae,
Nasturtii aquatici, singulorum libras duas,
Aurantiorum acidorum uncias viginti.

Misceantur, ut faeces fundum petant. Liquor tum decantetur et coletur.

SUCCUS FUMARIAE SPISSATUS

s. *Extractum Fumariae.*

℞. Succi Fumariae recens expressi quantum libet.

Evaporetur in balneo Mariae ad idoneam molem.

SUCCUS HYOSCYAMI ET TARAXACI.

Extracta eorum aliarumque plantarum recentium eodem modo ac Fumariae succus parantur.

SULFUR ANTIMONII PRAECIPITATUM

s. *Sulfur auratum Antimonii* s. *Kermes minerale.*

℞. Lixivii Sodae crudae cum Calce libras quatuor,
Aquae fontanae libras tres,
Antimonii pulverati libras duas.

Ebulliant in vase apto ad ignem lenem per tres horas, continua agitatione ope spathulae ferreae, addita aquae maiore copia, si opus fuerit. Coletur liquor fervidus per pannum linteum duplicem, eique etiamnum calido sensim affundatur Acidi vitrioli diluti, quantum sufficit ad complendam praecipitationem. Pulvis praecipitatus eluatur aqua calida iterum iterumque, donec saporem omnem amiserit, cribroque impositus siccetur et servetur.

SYRUPUS ACETI VINI.

℞. Aceti vini boni libras duas,
Sacchari depurati pulverati libras quatuor.

Misceantur in vase vitreo ad lenissimum calorem.

SYRUPUS ALLII.

℞. Bulborum Allii recentium concisorum libram unam,
Aquae fervidae libras duas.

Macerentur per horae spatium in vase clauso: colatis adde

Sacchari albi pulverati libras duas.

SYRUPUS ALTHAEAE.

℞. Radicis Althaeae concisae et comminutae libram unam,

Aquae libras decem cum dimidia.

Ebulliat, donec dimidia pars supersit. Exprimendo coletur et quieti tradatur, ut faeces fundum petant. Tum decantetur, et addantur

Sacchari depurati librae quatuor.

Ebulliat, donec idoneam acquisiverit molem.

SYRUPUS AMYGDALARUM.

℞. Amygdalarum dulcium decorticatarum libram unam,

Amygdalarum amararum drachmas duas.

Pinsantur in mortario lapideo ope pistilli lignei, donec massam constituant subtilem. Affundantur sensim

Decocti Hordei librae duae.

Coletur fortiter exprimendo: post admisceatur Sacchari depurati pulverati quantum sufficit ad Syrupi molem.

SYRUPUS BALSAMI PERUVIANI

s. *Syrupus balsamicus.*

℞. Tincturae Balsami peruviani unciam unam,

Syrupi communis tepidi libras duas.

Sensim misceantur: spiritus evaporetur in balneo Mariae.

SYRUPUS COLCHICI.

℞. Aceti Colchici uncias sexdecim,
Sacchari depurati uncias viginti sex.

Probe mixta ebulliant per aliquod tempus in vase fictili, massa vitrea haud obducto, ad idoneam molem.

SYRUPUS COMMUNIS s. SIMPLEX.

Solvatur Sacchari depurati in aqua, quantum sufficit ad syrupi molem.

SYRUPUS CORTICIS AURANTIORUM s. CITRORUM s. LIMONIORUM.

℞. Flavedinis Corticis v. g. Aurantiorum recentium libram dimidiam,
Aquae fervidae libras tres.

Digeratur in vase clauso per nychthemeron. Colato adde Sacchari depurati pulverati quantum poscitur ad idoneam molem.

SYRUPUS DIACODII.

v. *Syrupus Papaveris.*

SYRUPUS LIMONIORUM ACIDORUM.

℞. Succi Limoniorum acidorum depurati libras duas,
Sacchari depurati pulverati uncias quinquaginta.

Mixta fiant Syrupus.

SYRUPUS MECONII.

v. *Syrupus Papaveris.*

SYRUPUS PAPAVERIS

s. *Syrupus Diacodii* s. *Meconii.*

℞. Capsularum Papaveris cassarum libras duas,
Aquae fervidae libras viginti quatuor.
Maceratae per duodecim horas ebulliant, donec tertia pars supersit. Dum fervent expressae colentur, iterum colentur, donec dimidia pars supersit: repetatur colatio denuo. Tum addantur
Sacchari depurati librae quatuor.
Mixta ebulliant ad idoneam molem.

SYRUPUS RHABARBARI.

℞. Infusi Rhabarbari libram unam,
Sacchari depurati libras duas.
Misceantur.

SYRUPUS SIMPLEX.

v. *Syrupus communis.*

SYRUPUS SPINAE CERVINAE.

℞. Succi baccarum Spinae cervinae maturarum recens depurati libras quatuor,
Sacchari puri libras duas.
Coquatur ad idoneam molem.

SYRUPUS ZINGIBERIS.

℞. Zingiberis pulverati uncias quatuor,
Aquae fervidae libras quatuor.
Macerentur per sex horas. Colato adde Sacchari depurati quantum sufficit ad syrupum constituendum.

TARTARUS ANTIMONIALIS. EMETICUS.

v. *Antimonium tartarisatum.*

TARTARUS MARTIALIS SOLUBILIS.

v. *Ferrum tartarisatum.*

TARTARUS REGENERATUS.

v. *Alcali vegetabile cum aceto vini.*

TARTARUS SOLUBILIS.

v. *Alcali vegetabile tartarisatum.*

TARTARUS STIBIATUS.

v. *Antimonium tartarisatum.*

TARTARUS VITRIOLATUS.

v. *Alcali vegetabile vitriolatum.*

TERRA FOLIATA TARTARI.

v. *Alcali vegetabile cum aceto vini.*

THERIACA.

v. *Electuarium opiatum.*

TINCTURA ALOËS COMPOSITA

s. *Elixir proprietatis.*

℞. Tincturae Myrrhae libras duas,
Croci,
Aloës succotrinae, singulorum uncias tres.

Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA AMARA.

v. *Tinctura Gentianae composita.*

TINCTURA AROMATICA

s. *Tinctura Cinnamomi composita.*

℞. Pulveris aromatici sesquiunciam,
Radicis Angelicae unciam dimidiam,
Seminum Pimenti drachmas duas,
Spiritus vini libras duas cum dimidia.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA BALSAMI PERUVIANI.

℞. Balsami peruviani uncias quatuor,
Alcoholis libram unam.
Maceretur, donec balsamum sit solutum.

TINCTURA BENZOËS COMPOSITA

s. *Balsamum catholicum, traumaticum et vulnerarium.*

℞. Benzoës uncias tres,
Balsami peruviani uncias duas,
Aloës succotrinae unciam dimidiam,
Alcoholis libras duas cum dimidia.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA CANTHARIDUM.

℞. Cantharidum pulveratarum drachmas tres,
Spiritus vini libras duas.
Macerata per tres dies colentur.

TINCTURA CASTOREI.

℞. Castorei unciam unam,
Spiritus vini uncias sexdecim.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA CASTOREI COMPOSITA

s. *Tinctura foetida.*

℞. Castorei unciam unam,
Asae foetidae unciam dimidiam,
Alcali volatilis fluidi uncias tres,
Alcoholis uncias novem.
Macerata per sex dies colentur.

TINCTURA CHINAE COMPOSITA

s. *Essentia antiseptica Huxhami.*

℞. Chinae rubrae pulveratae uncias duas,
Corticis flavi et siccati Aurantiorum sesquiunciam,
Radicis Serpentariae Virginianae drachmas duas,
Spiritus vini uncias viginti.
Macerata per sex dies colentur.

TINCTURA CINNAMOMI COMPOSITA.

v. *Tinctura amara.*

TINCTURA COLOMBO.

℞. Radicis Colombo pulveratae uncias duas cum dimidia,
Spiritus vini libras duas cum dimidia.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA FOETIDA.

v. *Tinctura Castorei composita.*

TINCTURA GENTIANAE COMPOSITA

s. *Tinctura amara* s. *Elixir stomachicum.*

℞. Radicis Gentianae pulveratae uncias duas,
Pulveris aromatici unciam unam,
Spiritus vini libras duas cum dimidia.
Macerata per quatuor dies colentur.

TINCTURA GINGIVALIS BALSAMICA.

v. *Tinctura Myrrhae composita.*

TINCTURA GUAIACI

s. *Elixir guaiacinum.*

℞. Extracti Guaiaci libram unam,
Alcoholis libras duas cum dimidia.
Maceratum per octo dies coletur.

TINCTURA GUAIACI AMMONIACALIS

s. *Elixir guaiacinum volatile.*

℞. Extracti Guaiaci uncias quatuor,
Spiritus Ammoniaci compositi libras duas.
Maceratum per tres dies coletur.

TINCTURA HELLEBORI NIGRI.

℞. Radicis Hellebori nigri uncias quatuor,
Spiritus vini libras duas cum dimidia.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA IALAPPAE.

℞. Radicis Ialappae pulveratae uncias quatuor,
Spiritus vini libram unam.
Macerata per octo dies coletur.

TINCTURA KINO.

℞. Kino pulverati uncias duas,
Spiritus vini sesquilibram.
Maceratum per octo dies coletur.

TINCTURA LACCAE COMPOSITA.

℞. Laccae pulveratae unciam unam,
Myrrhae drachmas tres,
Spiritus Cochleariae libras duas.
Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA MYRRHAE.

℞. Myrrhae uncias tres,
Spiritus vini libras duas.
Macerata per octo dies coletur.

TINCTURA MYRRHAE COMPOSITA

s. *Tinctura gingivalis balsamica.*

℞. Myrrhae,
Catechu, singulorum unciam unam,
Tincturae balsami peruviani drachmam unam,
Spiritus Cochleariae,
Alcoholis, singulorum uncias quatuor.
Macerata per quatuor dies colentur.

TINCTURA OPII

s. *Tinctura thebaica* s. *Laudanum liquidum.*

℞. Opii depurati drachmam unam,
Alcoholis libram unam,
Aquae destillatae libras duas.

Macerentur, ut opium solutum sit: post per chartam emporeticam coletur.

TINCTURA OPII CAMFORATA

s. *Elixir paregoricum.*

℞. Opii depurati pulverati drachmam unam,
Camforae scrupulos duos,
Spiritus ammoniaci compositi uncias quatuor,
Alcoholis libram unam.

Macerata per quatuor dies in lagena clausa colentur.

TINCTURA RHABARBARI.

℞. Rhabarbari uncias duas,
Seminum Cardamomi minoris unciam dimidiam,
Spiritus vini libras duas cum dimidia.

Macerata per octo dies colentur.

TINCTURA RHABARBARI COMPOSITA s. AMARA.

℞. Tincturae Rhabarbari sesquilibram,
Tincturae Gentianae compositae semilibram.

Misceantur.

TINCTURA SACRA.

v. *Vinum aloëticum.*

TINCTURA SENNAE COMPOSITA

s. *Elixir Salutis.*

℞. Foliorum Sennae uncias duas,
Radicis Ialappae unciam unam,
Anisi stellati drachmas duas,
Spiritus vini libras tres cum dimidia.
Macerentur per octo dies, tum colatis adde Sacchari depurati pulverati uncias quatuor.

TINCTURA THEBAICA.

v. *Tinctura Opii.*

TINCTURA VALERIANAE VOLATILIS.

℞. Radicis Valerianae sylvestris uncias quatuor,
Spiritus ammoniaci compositi libras duas cum dimidia.
Macerata per octo dies in lagena clausa coletur.

TROCHISCI ALBI RHAZIS.

v. *Pulvis Cerussae compositus.*

TROCHISCI BECCHICI ALBI.

v. *Pulvis Tragacanthae compositus.*

TROCHISCI BECCHICI NIGRI

s. *Trochisci Glycyrrhizae.*

℞. Extracti Glycyrrhizae,

Cerae albae, singularum uncias novem,
Olei libras tres.

Liquefiat cera in oleo ad ignem mitem. Remotis ab igne paullatim Cerussa addatur, continuo agitando, donec refrigescat.

UNGUENTUM CERUSSAE CAMFORATUM.

Adiuncto ad quamvis unguenti Cerussae unciam scrupulo dimidio Camforae in olei guttulis aliquot solutae, paratur.

UNGUENTUM ELEMI

s. *Balsamum Arcaei.*

℞. Resinae Elemi libram unam,
Terebinthinae uncias decem,
Sebi praeparati libras duas,
Olei uncias duas.

Mixta liquefacta colentur, tum refrigescant.

UNGUENTUM LAPIDIS CALAMINARIS.

v. *Ceratum.*

UNGUENTUM MERCURIALE.

℞. Mercurii,
Sebi praeparati, singulorum unciam unam,
Axungiae porcinae sine sale uncias tres.

Terantur in mortario lapideo ope pistilli lignei, donec globuli mercuriales evanuerint.

UNGUENTUM MUNDIFICATIVUM.

v. *Unguentum rosatum compositum.*

UNGUENTUM NERVINUM.

℞. Sebi praeparati uncias octo,
Olei baccarum Lauri libram unam,
Olei Terebinthinae sesquiunciam.

Liquefacto sebo, ab igne remoto addantur olea et misceantur, donec refrigescant.

UNGUENTUM RESINAE FLAVAE

s. *Unguentum basilicum flavum.*

℞. Resinae flavae,
Cerae flavae,
Olei, singulorum libram unam.

Liquefacta ad ignem mitem colentur et refrigescant.

UNGUENTUM ROSATUM.

℞. Axungiae porcinae praeparatae libras duas,
Aquae rosarum uncias tres.

Triturentur in mortario lapideo, ut probe misceantur. Dein liquefiat mixtio ad ignem lenissimum, ut aqua secedat, fundo petito.

UNGUENTUM ROSATUM COMPOSITUM

s. *Unguentum mundificativum.*

℞. Unguenti rosati unciam unam,
Mercurii praecipitati albi drachmam unam,
Olei Lavandulae scrupulum unum.

Misceantur.

UNGUENTUM SATURNI.

v. *Ceratum Plumbi.*

UNGUENTUM SPERMATIS CETI.

v. *Ceratum.*

UNGUENTUM SULFURIS.

℞. Unguenti rosati libram dimidiam,
Sulfuris subtiliter pulverati uncias quatuor.
Misceantur.

UNGUENTUM TUTIAE.

℞. Axungiae porcinae praeparatae uncias quatuor,
Cerae albae drachmam unam,
Tutiae praeparatae unciam unam.

Liquefactis cerae et axungiae ad ignem blandum, remotis inde addatur Tutia, continuo agitando, donec refrigescat.

VINUM ALOËTICUM

s. *Tinctura sacra.*

℞. Aloës succotrinae pulveratae uncias quatuor,
Cinnamomi optimi pulverati semilibram,
Vini albi generosi libras quatuor,
Spiritus vini uncias sexdecim.

Macerentur per dies decem, saepius succusso vase, dein colentur.

VINUM AMARUM.

v. *Vinum Chinae compositum.*

VINUM ANTIMONII

s. *Essentia antimonialis Huxhami* s. *Vinum emeticum.*

℞. Antimonii vitrificati pulverati unciam unam,
Vini albi generosi libras duas.
Macerata per dies duodecim colentur.

VINUM CHALYBEATUM.

v. *Vinum Ferri.*

VINUM CHINAE COMPOSITUM

s. *Vinum amarum.*

℞. Chinae rubrae pulveratae uncias duas,
Radicis Gentianae unciam unam,
Flavedinis Corticis Aurantiorum sicci drachmas duas,
Vini albi generosi libras duas,
Spiritus vini uncias quatuor.
Macerata per octo dies colentur.

VINUM DIGITALIS.

℞. Foliorum Digitalis siccatorum unciam unam,
Vini albi generosi libras duas.
Macerata per quatuor dies colentur.

VINUM EMETICUM.

v. *Vinum Antimonii.*

VINUM FERRI

s. *Vinum chalybeatum.*

℞. Ferri limati uncias duas,
Vini albi generosi libras tres.
Macerata per quindecim dies, saepe agitando, post colentur.

VINUM IPECACUANHAE.

℞. Radicis Ipecacuanhae uncias duas,
Vini albi generosi libras duas cum dimidia.
Macerata per sex dies colentur.

VINUM NICOTIANAE.

℞. Foliorum Nicotianae siccatorum unciam unam,
Vini albi generosi libram unam.
Macerata per quatuor dies colentur.

VINUM RHABARBARI.

℞. Rhabarbari uncias duas,
Cinnamomi electi drachmam unam,
Vini albi generosi sesquilibram.
Macerata per octo dies colentur.

VINUM SCILLITICUM

eodem modo paratur ac Vinum Digitalis.

VITRIOLUM CAMFORATUM

s. *Lapis divinus* s. *ophthalmicus.*

℞. Vitrioli Cupri,

Nitri,
Aluminis crudi, singulorum uncias quatuor,
Camforae pulveratae drachmam unam.

Fundantur sales pulverati in vase fictili, massa vitrea haud obducto: fusis adde camforam: pandatur massa uniformis super lapidem frigidum, ut refrigescat: sic servetur.

VITRIOLUM FERRI.

v. *Ferrum vitriolatum.*

VITRUM ANTIMONII.

v. *Antimonium vitrificatum.*

FINIS

INDEX

A

